SANCTVS
HENRICVS
IMPERATOR
AVGVSTVS:
BAVARIÆ DVX XXXI.

RELIGIONIS, PRVDENTIÆ, Fortitudinis, Castimoniæ, Clementiæ, aliisque Heroicis Exemplis Præclarus.

ADMIRATIONI ET IMITATIONI RECENS PROPOSITVS

A Quodam Societatis IESV Sacerdote.

ADDITIS CAPITVM, RERVM & Historiarum Indicibus.

Superiorum Permissu. Et Priuileg. S. Cæs. M.

DILINGÆ,
FORMIS ACADEMICIS.

ANNO M. DC. XLVIII.

ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO
Domino, D.
MELCHIORI OTTONI
IMPERIALIS ECCLESIÆ
BAMBERGENSIS
EPISCOPO,
S. R. IMPERII
PRINCIPI
Domino suo Clementissimo, Obseruandissimo.

EA nunc sunt tempora, *ILLVSTRISSIME ET REVERENDISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME*, vt *Votis* non paruis desiderandum sit, redire in *Patriam nostram*, & postliminiò reuerti HENRICOS *Religiosos*, *Prudentes*, *Fortes*, *Castos*, *Clementes*: qualem in hisce

paginis deſcriptum *Orbi* proponimus. Liber eſt mole paruus; rerum autem geſtarum Amplitudine & Varietate planè maximus. HENRICVM damus, *Eccleſiæ TVÆ Bambergenſis*, quam illius nutu, per quem Reges regnant, optimo merito *TVO* regendam ac gubernandam ſuſcepiſti, Inclitum *Erectorem & Fundatorem*, æternâ memoriâ digniſſimum.

Demonſtramus, quibus *Heros ille* artibus ad *Romani Regni*, dein *Imperij Culmen*, tunc certè temporis radians ac ſplēdidum, conſcenderit. Gradus illi fecerunt *Religio* inprimis erga DEVM inſignis & admiranda; eáque omni illo Decore exornata, quod in *Chriſtiani Principis* optari moribus poſſit, quóue Eum *Magnus* ille *VVolfgangus Præſul Sanctiſſimus*, cui ſe formandum tradiderat, adauxit, & conſpicuum effecit.

Nec minùs ſpectabilem eum fecit *Prudentia*, non illa quidem, quæ peſſimo, & frequentiùs ſacris ac diuinis oraculis caſtigato more, obuia quæque arripit & vrget, quæ in malè domitarum cupiditatum

tatum obsequium idonea putantur; absque eo, an cum DEO & ratione recta illis constet, nec ne: sed altioribus atque à Deo, & verè Prudentibus probatis principijs innixus, nemini non amabilem se & commendatum reddidit.

Vnde profectò factum est, vt cùm *Ottho III.* HENRICI in *Imperio Prædecessor*, grauissimis ad hoc de causis permotus, agente simul *Gregorio V. Pontifice* id effecisset, ne quis in posterum *Hæres Imperij*, sed *liberis* nominandorum *suffragijs REX & Imperator* diceretur, HENRICVS *noster* primus omnino esset, quem *Virtus*, pluribus iam argumentis comprobata, quæq; non minora inposterum polliceretur, cōiunctis *Procerum Votis*, quibus *eligendi Ius* competebat, ad *Imperij Coronam*, & ad summum fastigium proueheret & promoueret.

Nec optimè concepta Suffragatorum opinio eos fefellit: Tantâ quippe *Fortitudine*, etiam vbi opus erat bellicâ, rem gessit, vt *quindenis Bellis Decretorijs*, nec vnquam nisi pro *Pace & Religione* proue-

henda susceptis, vicerit ac triumphârit.

Hanc Regia sanè *Clementia* ita semper comitata fuit, vt siue â manifestis hostibus, siue Suorum & sanguine coniunctorum, & collatis in illos beneficijs obnoxiorum iniurijs lacessitus (quorum equidem *Virtuti Herois nostri* propalandæ non infrequentem occasionem *Numinis Prouidentia* suppeditauit) facilior ferme, contra Diffidentium spem & expectationem, fuerit ad Veniam largiendam, quâ illi ad deprecandum prompti & accurati.

Præter hæc & plura eis similia laudem habet *Vnam*, ita sibi propriam, ita obstupescendam, vt eam nemo alius præripuerit adhuc, aut æquârit, & quæ totum *Orbem* in admirationem rapiat; quam inde reportauit, quod in *Totius Orbis theatro Maritum se, contractis Christiano ritu Nuptijs, gesserit, & tamen Castimoniæ Integritatem cum Lectißima CHVNEGVNDE sua ad Vitæ finem vsque illibatam conseruârit*, secúmque in mortualem *Tumulum*, & potiore sui parte in cœlestes illos thalamos gloriosus Suiipsius *Victor* importârit.

Hunc

Hunc talem *Heroëm*, qualiquali penicillo exornatum denuo producimus, non illo digno quidem, attamen tali, quo præclara Eius Memoria innouetur, & studium in alijs excitari queat, laudatissimi Viri huius facinora imitandi, inque Mores suos, ac vitæ rationes inducendi ac transportandi.

Nec dubitare diu, aut disquirere Nobis licuit, quò tantum *Imperatorem*, Libro hoc iterũ rediuiuum ire vellemus. Quam enim *Orbis* & *Imperij* Ciuitatem mallet Ipse reuisere, præter *Bambergam Suam*, quam Ipse ab *Otthone* sibi donatam, *DEO* & *Religioni* sacram esse voluit, eámque *Sede Pontificiâ* exornatam, & *Regiâ Munificentiâ* auctam, *Filo Serico Diuæ CHVNEGVNDIS*; seu *Augustalibus Prærogatiuis* liberalissimè condecorauit: sui denique *Corporis exuuijs* tantisper *Monumentum* selegit, dum *Magnus* ille *Spiritus* ad illud aliquando remigraret, & in supremæ Cœlorum felicitatis consortium secum adduceret.

Cum itaq; *Illustrißime Princeps*, *TVA*

TE Virtus in *Sedem hanc*, præ alijs Celebrem, & Amplam collocârit, existimauimus, nos rectè & ordine facturos, si HENRICVM TVVM *TIBI* coràm sisteremus. Ad quod & insuper, vt tesseram aliquam grati animi poneremus, nos impulit inter alia complura, ad omne æuum memoranda illa *TVA Beneficentia*, quâ factum est, vt, *Litterarum humaniorum Gymnasio*, per immortalis Recordationis Antecessorem *TVVM GODEFRIDVM Episcopum Celeberrimum*, olim fundato & *Societati nostræ* aperto; *TV* plurium Votis desideratam, totique Reipublicæ vtilissimam Coronidem adieceris, dum in medijs Bellorum flammis altiorum etiam studiorum palæstram & *Academiam* addidisti, & hac ceu gemmâ nobilissimâ *Vrbem TVAM* & *Litterariam Rempublicam* consignâsti. Quâ quidem re *toti Orbi* laudatissimâ, non solum *Collegium istud*, quod *Bambergæ* cernitur, totámque *Prouinciam*, sed & *Societatem vniuersam* immortali vinculo obstrinxisti.

Accedit & peculiaris hæc Causa, quod

quòd complures per annos, *Academiam* hanc *nostram Dilinganam* familiari *TVA* præsentiâ Illustriorem effecisti, & præter litterarum, quas tunc tractabas, diligens studium, Vitæ etiam, Morúmque ea specimina exhibuisti, vnde pronum erat conijcere, altiore aliquando, & ampliore Sede collocandum. Quod vti humillimis animis *TIBI* fauemus, ita DEVM ardenter rogamus, vt ea reducere Tempora; *TVA* etiam quâ polles Autoritate, & Prudentiâ alloborantibus, clementissimè dignetur, quibus Vtilissimas curas explicare amplius possis, & HENRICO *TVO*, seriùs quidem pro *Orbis Bono*, aliquando tamen Proximus, in supremæ Beatitatis Sede colloceris: Et nos interea, totámque *Societatem* clementissimo Fauori *TVO* inclusos habere pergas. Dilingæ Cal. Aprilis: Anno M. DC. XLVIII.

Illustrissimæ & Reuerendissimæ Celsitudinis TVÆ

Humillimè obsequens

Coll. Soc. Iesv. Dilingæ.

APPROBATIO

MAGISTRI S. PALATII.

VItam S. HENRICI Imperatoris, *à quodam Patre è Societate IESV summâ copiâ, facultatéque dicendi conſcriptam, ita annuente* Reuerendiſſimo Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici, *legi. In ea omnia Fidei Catholicæ, & bonis Moribus conſonant. Habebunt Principes Viri, cuius ſimilitudine in eadem incurrant veſtigia, & communem Religionis & Imperij Conſociationem tueantur, ſi Typorum beneficio ad manus omnium venerit. Romæ VIII. Id. Septemb.* CIↃ. IↃC.XXXXIIII.

Leo Allatius.

Imprimatur;

Hyacintus Serronus, Magiſter, & Socius Reu^mi^ P. Fratris Michaëlis Malarini S. P. A. Magiſtri, Ordinis Prædicatorum.

APPRO-

APPROBATIO
ADM. R. P. GENERALIS.

Mutius Vitellescus
Societatis IESV Præpositus Generalis.

Cùm libellum, cui Titulus *Vita & res gestæ S. Henrici Imperatoris*, à Patre quodam nostræ Societatis conscriptum, aliquot eiusdem Societatis Theologi recognouerint, & in Lucem edi posse probauerint, facultatem concedimus, vt Typis mandetur, si ita ijs, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem &c. Datæ Romæ 12. Sept. 1644.

L. S.

Mutius Vitellescus.

FACVL-

FACVLTAS
R. P. PROVINCIALIS.
SVPERIORIS GERMANIÆ.

EGO Laurentius Keppler, Societatis IESV per Superiorem Germaniam Præpositus Prouincialis, potestatem facio, vt *Vita S. Henrici Imperatoris* à Quodam Patre Societatis nostræ conscripta, atque in *Alma Vrbe* censa, probatáque, *Academiæ Dilinganæ Typis* excudatur; Eidémque *Ius Cæsarei Priuilegij* vsurpandi impertior, quo Typographis, ac Bibliopolis omnibus copia adimitur, Vulgatos à Societatis IESV Patribus libros, absque Superiorum & Auctorum consensu recudendi, aut intra S. Romani Imperij, & Prouinciarum hæreditario iure Sacræ Cæsareæ Maiestati subiectarum fines importandi. Horum fidem facio meâ manu, & officij Sigillo. Monachij 18. Februarij, Anno 1648.

L. S.

Laurentius Keppler.

INDEX I.
CAPITVM.

Henri-

tionem

niaci

S. Heri-

VITA ET RES GESTÆ
S. HENRICI
IMPERATORIS.

CAPVT I.

Patria, Ortus, & Educatio.

I.

QVartum iam à Bauaria Christiana, quod Ruperto Bauarorum Apostolo referunt acceptum, agebatur seculum, toti orbi felicissimo sydere irradians: quando inter florentes Principes, *HENRICVM* Diuina Prouidentia dedit, Bauaris seu Boijs, à Thedone primo Trigesimum primum Ducem, mox Romano Imperio, Secundum, id nominis Imperatorem. Theodo is fuit, qui primus Agilofingorum familiam inter Boios nobilissimam, quindenis ordine Boiorum Principibus, ad Carolum vsque Magnum Imperatorem propagauit. Itaque decimus sextus à Theodone Carolus Magnus est, qui Thassilone secundo, eodémque stirpis Agilofingæ supremo, exauthorato, Regis titulo Bauaris moderauit. A quo deinde nutu illius per quem Reges regnant, & de gen-

te in gentem Regna transferuntur, successere *Francones, Saxones, Mosellani, Sueui, Austriaci*, sed ante *Mosellanos* intermicuit *Henricus Sanctus*, decimâ quintâ (alijs decimâ septimâ) à Carolo Magno successione. (*a*)

II. Longum foret, si supra Theodonem à viginti duobus seculis & vltra, quæ Boios memorant, seriem Regum seu Ducum repeteremus: satis est, sanctiora secula ingressos, vel à Theodone Tertio, Duce Boiorum Sexto felicius auspicari. Hic sanè exacto sub quinque præcessoribus pagano, ferreóque seculo, à Ruperto ad Christi Sacra traductus, Christianum & aureum seculum Boijs initiauit: vt si hactenus ex parte felices fuere Boij, deinceps Pij quoque nomen splendidè tuerentur, ad eã gloriam Theodoni Tertio magis, quam Primo obnoxij, quod hic natale solum duntaxat in terris, ille patefacto cælo, veram ipsis patriam commonstrarit. Scilicet hîc quoque intercessit solenne illud diuinæ potentiæ argumentum, quo Regibus & Regnis, salutem per feminas decernit. Vt enim *Franci* per *Crotildem*, *Gothi* per *Ingundem*, *Longobardi* per *Theodelindam*, ita *Theodo* per coniugem *Reginotrudem* ad Christum cum suis pellectus est; pulcherrimo certè exemplo, quod velut traditum per manus, deinde *Gysela* quoque, *Henrici* nostri soror, Stephano Hungarorum Regi primo, dicitur obtulisse. Vtinam hodiéque constanti inter Principes affines pie-

tate;

tate; ne vincula coniugiorum toties nectantur in diuortia pacis.

III. Iam propius de *Henrici* ortu dicturis, occurrit, à Carolo Magno ductam Carolingorum, vsq; ad Cæsarem Arnulphum, per gradus septenos lineam, in hoc Arnulpho fuisse recisam, ac nouo deinceps orsu per quinos, in Henricum Aucupis natum protensam, hinc demum quinâ alia successione, sed non eodem filo, in nostrum *Henricum* missam. Ergo *Henricus* ille est, septimus ac vigesimus in serie Ducum, frater Othonis Magni Imperatoris, qui genitum ex se Henricum alterum, patrem dedit *Henrico*, cuius *vitam & res gestas* scribimus; hôc quodammodo maiorem Otthone Magno; quod orbi protulerit, *Ducem*, *Regem*, *Imperatorem Sanctissimum*. Ita qui ab Henrico Aucupe genus deriuant, de *Henrici* nostri ortu sentiunt; *(b)* eundémque tertio, cum Otthone Tertio consanguinitatis gradu locant. Alij, quibus Arnulphus Comes Schirensis, Arnulphi Cæsaris in Nortmannico bello militiæ Præfectus potior est; ab eo per Luitpoldum Austriæ Tetrarcham; duos item Bertoldos; Luitpoldi natum & nepotem, Henricum Norici & Carinthiæ Principem faciunt, eundémque *Sancti Henrici Imperatoris* genitorem. Eâ inter alias discernendi notâ, quod Henricus ille Otthonis fratruelis, *Saxonicam* stirpem respiciat, hic *Boicam*: ille Hezelo & Rixosus, hic Henricus pius & religiosus; ille

Otthonibus Imperatoribus refractarius, affectator Principatus & Imperij, hic amans pacis, & reuerens Maiestatis audiat; amborum denique stemmata diuersis incedant lineis, nec easdem referant maiorum imagines.

IV. Scilicet vt de Constantino Magno Britannus an Bithynicus; de Carolo Magno, Francus an Germanus; ita de *Henrico* vtique etiam Magno, *Boius* an *Saxo* fuerit, contendunt Scriptores. Cum quibus ne funem trahamus, Cæra monet. Henricus Auceps, quemadmodũ Orbi tres Otthones Imperatores, ita tres Henricos Boijs Duces dedit; ac vt Otthonis Tertij, sic etiam Henrici Tertij qui Sanctus est, abauus audit. (*c*) Nempe Ottho Magnus Imperator, & Henricus Primus, Dux Boiorum, fratres, genitorem agnoscunt Henricum Aucupem: Ottho primogenitus edidit Otthonem Secundum, hic Tertium, in quo prima linea succisa est: alterâ (*d*) per Henricum Aucupis secundo genitum, descendit Henricus alter, dictus Rixosus, ex isto *Henricus Sanctus*, tertius in gradu, quartus in Principatu. (*e*) hunc enim post Rixosum intercepere Ottho prim⁹, Magni nepos, Ludolpho genitus, & eiusdem natus Henricus, comparatione Rixosi, quem moribus prope referebat, minor dictus, idémque id nominis, Dux Tertius; quo demum extincto, redorsus est lineam Henricus quartus, Sanctum puta; Verùm is quemadmodum in Principatu successit

Hen-

Henrico Tertio, ita deinde ſine liberis decedens, Imperium reliquit eiuſdem nato, Conrado Secundo, quem Salicum dixerunt.

V. Sic ſanè Henricus Auceps & nomen ſui patris in Otthonibus, & ſuum in Henricis natis voluit exſplendere, feliciori forſitan in his ſatu: nam in Otthonibus extinctis, Henrici non in Ducatu ſolùm Saxoniæ, verùm etiam in Orbis Imperio floruerunt, vt cognata quodammodo dignitas eſſet, Bauariæ, Saxoniæque cum Imperio: *(f)* idque tum maxime, cùm munere hereditario Lotharij Cæſaris ad Henricum Bauariæ Ducem, patrem Superbi, tota deuoluta eſt Saxonia; qui etiam Rheni Palatinatum nactus, glorioſè audiuit Principem ſe maiorem, in Germania ſolem nunquam produxiſſe, nec vidiſſe.

VI. Atque ad hæc ſuadenda faciat fortaſſe non parum, diploma illud Otthonis Secundi, *(g)* quo, Henrico Rixoſo, Bambergæ totiúſque diſtrictus donationem, authoritate Imperiali ritè munit; quando in eo, more temporum illorum, Henricum, nepotem compellat, dicturus alioqui patruelem, qui ab Henrico Primo, nimirum patruo ſuo genitus erat. Nec eſt vt vocabulum Rixoſi quempiam terreat, haud multis poſt annis ſpongiæ inductum, vbi inſignis pietatis epigraphe mores emendauit. Nam etſi beneficentiæ immemor Otthone puero, Secundi filio, Tutelæ obtentu, in poteſtatem redacto,

nomen Regium assumpserit, populi tamen studijs aliò translatis, ipse sui pœnitens studij, nec securus malorum, ad officium redijt, tutelámque pariter, & inconcessa vota eiurauit. Ita sanè commendabili exemplo deposuit insignia fortunam irritantia, ventósque in spem luculenti naufragij sæuientes sedauit. Nec virtuti pristinæ quicquam ademptum, quâ priusquam solio Regio detrahere patruelem conatus est, vsque adeo excelluit, vt intempestâ sæpe nocte Ratisbonam per duo millia passuum commeare pedes solitus, ad Diui Emmerammi fores humilis maneret, dum ab Ædituis, aut ab Angelis, vt ferebatur, panderentur; atque interim in saxo, quod in vestibulo Ædis locatum, memoriam eius nunquam sinet intermori, precibus & meditationi insistens operiretur. Nec dubium, quin decem anni piaculares, quibus post tot iactationes, velut in portu quieuit, *Henrico* nomen Pij longè ampliori censu restituerint. Idque testantur, religio cum primis, largissimâ in egenos stipe nobilis; Paulianum Ratisponæ Monasterium, Wolffgango authore, eius potissimum opibus extructum, cui Brigitta filia postea sanctitatem intulit; eius demum ornamenta gratiæ, quâ Otthoni Tertio reconciliatus, flagrantissimâ deinceps dilectione vixit, nullis vnquã euentis vel leuissime tentatâ concordiâ.

VII. Hæc eatenus hoc loco memorari oportuit, quòd parentum quoque laudes, vt ait

Ambrosius, (*h*) ad mores natorum commendandos, haud minimum faciant; neque enim nobilitas ad heredes missa felicius, quàm religionis & pietatis successione propagatur. Itaque *Henricus* hic laudatus Princeps, ductâ in matrimonium *Giselâ*, Burgundionũ Regis Conradi, vt quibusdam videtur, filiâ, quam non inferior virtus generi efferebat, geminos ex ea natos, natásque totidem, vicibus alternis suscepit, Henricum, Giselam, Brunonem, Brigittam.

VIII. Natus est *Henricus* non *Ratisbonæ* vt quidam putant, (*i*) sed *Abudiaci* vico & castro supra Ratisbonam, millia passuum decem, anno Salutis decimi seculi, secundo & septuagesimo, die sexto Maij, feriâ secundâ. Fuit is Ioanni decimo tertio Romano Pontifici supremus, Otthoni Magno Imperatori vno minùs; insignis Synodo Ingelheimensi, quæ Vdalrici Augustani nimiam subrogandi sibi in Episcopatu Adelberonis, ex fratre nati cupiditatem temperauit, ne tam immanis exempli, tantus vir author esset. Diuinitus factum, vt hoc eodẽ anno. (*k*) Adalbero ætate & viribus florens, nec vllâ tentatus ægritudine, ex improuiso efferretur, & Vdalricum annus sequens tolleret, solenni sub exitum piaculo detestatum errorem, quo sanguini, inordinato affectu indulsisset, ea de causa adeundas sibi purgatorias flammas per visum monitus. Decrepitus erat, quietem

clauſtralem ex inſtituto Benedicti elegerat, quo bene eſſet Eccleſiæ, Epiſcopum ad omnia ſumma ingenij & morum indole factum, præoptarat. Id propter, Cæſarem & Patres efflictim fatigabat. Quid ſi erga immerentem flagraſſet? quid ſi erga flagitioſum? Diſcant non ſancti, nec probati, exemplo viri ſanctiſſimi, admirandis virtutibus conteſtati. Et, ſi multi ſunt vocati, pauci vero electi, quid de non vocatis, quid de ambitioſis malorum dolorum peruentoribus cogitandum? Ad *Henricum* redeamus. Si *Abudiaci* natum conſtet, inanis eſt de patria contentio, & perinde dixeris *Boium* & *Saxonem*, quem cognatâ ſceptrorum affinitate ſub vnius Principatu diuerſa loca ciuem fecere, adſcitíſque ſtemmatum imaginibus equum rhombi alternauere. Sic Drepanum Bithyniæ Conſtantinum, (*l*) ſic Ingelheimium Franconiæ, aut Moguntiæ vicus ad Rhenum, aut denique Lupilia apud Eburones Carolum vendicâre; (*m*) nec alienum à Romanis legibus, peculiari quadam cenſione, ſuum profiteri, quem aliunde accepiſſent. Ita Paulinus, Ambroſiúſq; Romani dicti, (*n*) & quidem hic in Regia Vrbe natus, etſi vtrumque Gallia è ſinu ſuo fudiſſet, illum Aquitania, hunc Lugduni prouincia: quanto magis Henricum Boij ſuum dicent, (*o*) cui natale ſolum, vel vt loquitur Adelboldus (*p*) natiuam terram, Boiorum Cælum indulſit, etſi aliunde vel oriundum, vel iuris patriam ſortitum.

IX. Post primam ex vtero lucem, alteram ę cælo hausit, à *Sancto VVolfgango*, Ratisbonensi Antistite, sacro fonte lustratus, magno parentum & familiæ, totiúsque populi gaudio, quos præcipuè spes stabiliendæ successionis solicitabat, securos pacis, tali vade diuinitùs dato. Sed maius aliquid promittebat, scituli forma infantis; qui nondum solutâ in vocem linguâ, specimen Pietatis ab ipsis fascijs edebat, & de futuro vitæ statu, ex imposito sibi vocabulo, quodammodo præludebat. Quippe *Henrici* nomen prudentis patrisfamilias, adeóque domus suæ, hoc est, Regni & Imperij cultoris est nota, seu quod originis idiomati propius est, diuitem generosæ indolis, & heroicarum virtutum designat sectatorem.

X. Paulò postquam initiatus, à lacte nutricis abstinuisset, pueritiæ & morum formatores additi sunt ei, *Bernardus Hildeshemensis*, *Burchardus Vangionensis* Præsules inclyti; quibus demum accessit *VVolfgangus*, admirandæ vitæ sanctitatis, non ita pridem *Piligrino* in *Hungaris* excolendis author, socius, & adiutor, huiúsque commendatione, titulo meritorum, Ratisbonensis Episcopus dictus; cuius disciplinæ, post alios diutius inhæsit, regebatúrque consilijs. Ferebant hoc ea tempora, vt Principum nati, ad regendam Rempublicam erudiendi, viris traderentur, non pomparum & fastûs ministris, sed Religionis magistris, à quibus cum timore

Dei, iuſtitiam & ſacrorum reuerentiam edocti, pares eſſent, ad Regna populóſque ex Euangelij inſtituto moderandos. Talis erat in paucis, quibus *Germaniæ*, *Galliaq́;* abundabant, *VVolfgangus*, ad quem plures Magnorum geniti, cæleſtis prudentiæ capiendæ causâ confluebant, ex eiuſdem nutu pendentes. Atque inprimis *Henrici* noſtri pius parens, eiuſdem ſapientiâ in *Henrico* nato relucente, mirificè delectatus, ceteros quoque liberos ad eum deduxit, quo cæleſtem cum ſanctitate & religione doctrinam pari omnes exemplo condiſcerent.

XI. Et fuit talis erga hos præcipuè cura *VVolfgangi*, (*q*) vt in medio fuerit, Reges, an Epiſcopos ſapientia, Reginas, an Antiſtitas ſanctimonia maior ſequeretur. Enimuero Magiſter Deo doctus, ſingulorum indolem religione metiens, ſingulorum quoque fortunam, ſtatum, & conditionem, diuinâ quadam præſenſione expreſſit; & *Henricum* quidem identidem *Regem* appellitauit, *Giſelam* ſororem *Reginam*, *Brunonem Epiſcopum*, *Brigittam Antiſtitam*; fuitque ſua cuique ſors poſtea rata. Nam & *Henricus* Regno, Imperióque potitus; & *Giſela* Pannoniæ Regi Stephano primo, nupta; & *Bruno* Epiſcopatu Auguſtano auctus; & *Brigitta* Virginum Sodalitati Ratisbonæ præfecta, partes ſuas ſupra laudem impleuerunt. Sed illud præterea in ſeculi Principibus rarum, *Henrico* peculiare fuit, ad ſanctitatem Magiſtri ſic aſpirâſſe, vt

doctri-

doctrinæ quoque æmulus haud impar esset: vnicum hinc Fidei Catholicæ firmamentum, atque etiam ornamentum ratus, si recondita litterarum omnium, sed diuinæ præsertim eruditione philosophiæ, pectus imbuisset. Nec mirum si omnium opinione assecutus est, vt doctus iuxta & sanctus haberetur; da enim huiusmodi Doctores, & habebis doctos & sanctos Principes, quales nec Plato optare sciuisset.

a. *Adelboldus lib. de reb. gest. S. Henrici.* b. *Rader. in Henrico Sancto.* c. *Ex Geneal. ap. Fräcisc. Iran. & alios.* d. *Adelboldus de reb. gest. S. Henrici.* e. *Bruner. in Excub. Tutel. Et Annal. Boic. par. 2.* f. *Iran lib. 3. Exeges. c. 60.* g. *Gretf. in notis in vit. S. Henrici c. 9.* h. *Lib. 1. in Lucam initio.* i. *Annal. Boici.* k. *Author vitæ Vdalrici. Baron. Tom. 10. ad an. 971. & 972.* l. *Nicephor. l. 7. c. 18.* m. *Baron. Tom. 3. ad an. 306.* n. *Iran. lib. 3. cap. 18.* o. *Retro. ff. de Captiu. L. Ciuis. C. de Incolis. L. Filios. C. De Munic.* p. *Adelbold. de reb. gest. S. Henr.* q. *Rader. in Henrico. Bruner. in Annal. Auct. vitæ S. VVolfgangi.*

CAPVT II.

Henricus à Patre regimini admotus, mirâ prudentiâ & pietate rem administrat.

I. SAtis iam literis dederat *Henricus*, & ingenium secuta prudentia adolescentiam supra ætatem efferebat, vt parentis consilijs

lijs par esset. Quare ab eodem in rem gerendam introductus, apposite omnia velut manu moderabatur; neque tamen non à nutu pendebat parentis, tantum illi tribuens reuerentiæ, quantum & religiosæ erga *VVolfgangum* Antistitem obseruantiæ; non ignorans secundas à parentibus deferendas esse morum & sapientiæ præceptoribus. Huius enim diuinâ quadam sapientiâ placidè flectebatur in obsequium, & certabat cum parentis voluntate, vt dubium esset, vter alteri obsecundaret. Quæ consensio mirificè quoq; ducebat animos subditorum, obseruantes iuxta & obtemperantes, eâ solâ contentione, quæ diligentiores ad nutum redderet animaduersores.

II. Ceterùm optimus parens indole filij vtendum ratus, vbi eius potestati omnia permittere decreuisset; tum *Henricus* distributis in dies & horas muneribus, à Religione auspicatus est, nihil non infra eam habens, ab ea verò ad reliquas curas, receptu duntaxat salutari se demisit. Itaque in Templis visendis & ornandis assiduus, ex sacrorum splendore magnificentiam suam metiebatur, & ne quid nitori sanctitatis in augendo diuino cultu deesset, ex præcepto *VVolfgangi* diligenter obseruare, in Clerum & Religiones præcipuo exemplo intendere, & ad solemnes cæremonias, quasi ipse fungeretur, aduentare. Singulare præterea studium fuit Religionum præfectis, vel aditis, vel accersitis inuesti-

uestigare, ne quid esset, vnde minùs ritè & commodè Deo vacaretur, par Reipublicæ piaculum ratus, si serui Dei vel negligerent, vel negligerentur.

III. Sed neque in postremis habuit, Virginum pudicitiæ decenter consulere, viduarum & pupillorum causis adesse; & ne potentum versutiâ præter ius fásque exciderent, seuerè cauere; omnes insuper oppressos subleuare, pauperum necessitatibus, & qui mendicitatem erubescebant, rebus angustis occurrere, ægrorum & censu defectorum inopiæ liberaliter prouidere, mœstos solari, afflictis compati; denique hoc à se esse arbitrari, quod omnium commodis studere.

IV. Ea gratia, dissipatâ passim famâ, celebre ei in antecessum cognomen à pietate fecit, maiores titulos in cōsequentes annos reponente diuinâ prouidentiâ. Quibus ille velut gradu per omnes virtutes facto, aduersùm ibat, Religione duce, ad quam omnia studia & consilia referebat. Vnde factum, vt procul abesse iussis, qui seculari prudentiâ, religione pro foro duntaxat vtendum rerentur, aulam haberet viris secundùm Deum sapientibus refertam, quibuscum retractatâ crebrò Sanctorum doctrinâ, *VVolfgangi* monitis bellissimè rem administraret, vt vulgò iactaretur, *Henrico* multos inesse Episcopos, multos Principes; Et certè quæ aliquando de Iulij Cæsaris natalibus (*a*) à se dicta

ĉta laus abijt, apud *Henricum* meliori ſenſu manſit: *In genere eſſe & ſanctitatem Regum, qui plurimum inter homines pollent, & cæremonias Deorum, quorum ipſi in poteſtate ſunt Reges.*

a. *Sueton. in Iul. Cæſar.*

CAPVT III.

Henricus ex voto parentum coniugio ſe aſtringens; Virginitatem ſeruat.

I. ET iam matura coniugio ætas *Henrici* vrgebat vota parentũ in ſpem nepotum, quos viſuri nõ erant. Aiunt ex tot iactationibus receptũ in gratiam Otthonis Imperatoris *Henricum* patrem, ac de eiuſdem ſuffragatione; ſi heredem ſcripſiſſet certiorem, de filij coniugio decreuiſſe: quanquam hunc, deſponſam ſibi Otthone adhuc viuente Virginem, non niſi eo vitâ functo, Regem ſalutatum duxiſſe. Quam ſanè moram, niſi ingenium *Henrici* iunioris finxerit; nulla impedimenta nectere potuerunt; nec veriſimile ſit, ſpe tot annos prorogatâ, tanto parentes afflictu pependiſſe animi. Etſi enimuerò *Henricus* mentem ad æterna intentus, cælibatum præoptabat, magno vitæ mortalis contemptu, quâ, ſi ſemel vixiſſet, in poſteris viuere non curabat, raro vulgi, nedum Principum exemplo; parebat tamen ſecurus pacti, quod ſibi cum Deo conueniſſet.

II. Obuenit ei cæleſti ſortitu lectiſſima Virgi-

Virginum, *Sigefridi* Palatini seu Metensis Comitis, Mosellanique Reguli filia; quæ propositum mentis nomine præferebat, *Chunegundis* dicta, Regis fauorem interpreteris, adeóque regiarũ mentium, in voluptates ex pari consensu non imparem dominatum. Vt primùm enim in manum conuenit, nondum comperto *Henrici* sensu, prior ipsa pudici pectoris arcanum obtulit, & instar *Cæciliæ*, sed coram *Henrico*, de Virginitatis proposito eloquentèr perorauit, ignara quàm docilem nacta fuisset auditorem, cui ipsa monituro, primas abstulisset; nec opus fuisse illi Angelo fideiussore, quem vnctio Spiritus, incorruptione Deo proximum fieri docuisset. Dexteras proinde Virgines iungunt, & Sacramentum coniugij, Sacramento celant; *In thoro* vt loquitur Eugenius Tertius, *(a) legitimo positi, quod paucorum fuisse legitur, integritatem castimoniæ vsq; in finem vitæ conseruantes.*

III. Huc ades *Alexi* Romanorum nobilissime, quem primâ nocte fugientem *Adriatica* sponsa non arsit; Huc *Marciane Auguste*, cuius prouecti continentiam, pudicitia rexit *Pulcheriæ*; sed quadragesimus à te *Henricus*, Imperij solium exemplo fortasse non repetendo ornauit, cumulauítque augustiùs: Huc *Eleazare* Comitum splendor, cuius castissimum thalamum, *Dalphinæ* Virginis seruata nobilitauit integritas. *Henricus* omnium votis facinoribúsque æquatis, maiora quoq; ornamenta addidit:

certauit cominus, à forma, vigore, opibus, felicitate instructus, annis florentibus, nec pro palæstra paucis, Principatu, Regno, Imperio diuturnis. Quanta de tot illecebris, in ancipiti mortalibus prælio victoria? Ita viuebant in terris æmuli Angelorum, non facilè propagandâ Coloniâ. Sed ne prorsus Angelorum, qui neque nubent, neque nubentur coalita hæc videatur societas, tuum aliquando, ô *Henrice*, diabolo instigante subibit animum, delibatæ integritatis in coniuge suspicio, sed illustriori per ignē argumento probata fidei coniugalis constantia, in luce triumphabit, & te quoque sanctiorem reddet.

IV. Hoc rerum statu dum expectationem hominum ludit *Henricus*, & se maritum fingit, non probat; mirum quàm florens opum, religionis & pacis, sese efferebat *Bauaria*, vt aureum seculum ducere videretur, siue id *Henrici* parentis à turbis quies, siue in filium inclinata consilia; siue demum filij religio, & cum Ecclesia Romana consentiens pietas mereretur. Hinc plerique, non minus quàm suopte ipse ingenio præludebat, voto & voce præibant, *Henrici* indolem digniori Principatu æquandam; quidni enim mortalium vota gaudiáque generoso cōtemptu supergressus, dignus in cælo videretur, qui à domestico illo animorum, cupiditatúmq; regno, ad Imperium Orbis terrarum aliquando ascenderet? Eius rei, *VVolfgangi*, cuius maxime

consilijs

consilijs regebatur, iocus apud plerosque argumentum fecit; quando quod seriò præsenserat; eundem ingratijs Regem adsalutare solitus est.

a. *In Bulla Canonizat.*

CAPVT IV.

Sancti VVolfgangi, & deinde Henrici Senioris obitus, Iuniorisque successio, & pacis studium.

I. QVartus iam à nuptijs *Henrici* agebatur annus, idémque salutis humanæ supra Nongentesimum, quartus & nonagesimus, (*a*) qui *VVolfgangum* terris subduxit, die vltimo Octobris, feriâ quartâ. Peracerbè id accidit *Henrico* absenti, quippe itinerantem mors intercepit. (*b*) Sed nō multò post *Ratisbonam* deductum funus, defletúmque piorum omnium lacrymis, ipse inter primos solitâ pietate prosecutus est, iusta pro dignitate procurans. Certo certior, quem Magistrum & magnarum rerum in terris Præceptorem habuisset, autorem & tutelarem in cælis se habiturum. Ex eo tempore nunquam intermisit, quin ad *Diui Emmerammi* vbi conditus est, vnâ cum *Chunegunde*, eius reliquias piè veneraretur, nec secus atque à viuente cōsilia captaret, & in dubijs lucem. Haud irrito voto, quando multis contestata prodigijs sancti viri virtus, ceteris pro meritò fre-

quenter, *Henrico* certè pro salute Reipublicæ intercedenti semper adfuit,& quam eius curam gereret, argumentis in loco memorādis docuit.

II. Idem refugium fuit *Henrico* Seniori, quem alioquin religioni *Emmerammi* vacantem, recens *VVolfgangi* cultus occupauit, eâ familiaritatis fiduciâ, quâ eidem liberos quoque educandos commendâsset. Bellè id cecidit, ne mors imparatum offendisset, quem anno sequenti,die *Augustino sacro*, feriâ quartâ efferendum decreuerat. *Gandersheimi* dum sororem *Gerbergam* sacris Virginibus præpositam aduiseret,ei se obtulit,vt tamen suprema verba filio *Henrico* accersito, daret, permisit. Ea fuêre, meminisset se à *VVolfgango* sæpe *Regem* salutatum; id si Deo fauente accidisset, è manu eius, *per quem Reges regnant*, capesseret, non versutis artibus, sed pietatis præceptis regium nomen gesturus: Meminisset Otthoni Regi seruandam fidem, liberandos inuidiâ trium Henricorum manes, qui tribus Otthonibus de imperio litem mouissent; optare se illum nō fortunæ suę, sed pietatis heredem; vinci etiam modestiâ, nec Rixosi, sed Pij parentis exempla sequentem, melioribúsque illustrantem. Bella,nisi *Domini*, nunquam prælianda, raram in bellis Iusti gloriam. Consilij viam aperturos Regum & regnorum casus, de mortalium votis studiísque fortunam disceptare, sed interitum cernere; denique meminisset, morituro, si *Religio*, & *Iusti-*

tia

tia oculi fuerint, eos nullis tenebris obruendos.

III. Hæc magno cum animi ſenſu elocutus, & filium vltimò complexus, inter pios gemitus, & reſpondentis nati vota, finem viuendi fecit. Eo loco tumulatum priùs, deinde *Ratiſponam* ad *D. Emmerammi*, *Henrico* filio iam *Rege* tranſlatum, hodie Mauſoleum, cum hac Epigraphe, oſtendit:

HENRICVS Regis Pater, & defenſio Legis,
Boiariæ cultus, Pius eſt hic Dúxque ſepultus.

Deſiderato in hunc modum, & piè funerato parente, *Henricus* illicò, nè qui motus in patria naſcerentur, primam dedit operam, deinde ſuorum conſilio & auxilio, non tam adijt hereditatem, quàm dono Otthonis Imperatoris obtinuit. Ita ea ferebant tempora, vt ad prærogatiuam nati Principis, ſuffragia quoque numerarentur eligentium, libertate ſcilicet nondum penitus extinctâ, ne Domini potius inuitis, quàm Principes imponerentur optantibus, certante donantis & petentium beneficio. Ceſſit ea res *Henrico* ex animi ſententia, vt perinde eum ſui diligerent, & infra timorem reuererentur, ne ſi officium non feciſſent, Imperatorem qui beneficium contuliſſet, timere cogerentur.

IV. Itaque auctior curis, ſed animo liberior, arbitratu tempus omne obſedit, ſiue religione colendâ, ſiue iure dicundo, *pacem fines ſuos ponens*, & bene merendi, ſi poſſit, de toto orbe terrarum auidus. Ante omnia *Geyſam* Hun-

garum Ducem abolitâ præteritorum bellorum memoriâ ſtuduit ſibi conciliare. Apud hunc nuper è Paganiſmo conuerſum, ingens ſecundùm *Emmerammũ* poſuerant beneficium Religionis, *Piligrinus Laureacenſis*, & *VVolfgangus* huius Comes; quo merito non ingratum accidit *Henrici* nomen, viro iam ſenio graui, & *Stephani* pueri gratiâ, mox Regis futuri, tam rebus opportunum.

a. *Lambert ad hunc ann.* b. *Bruner. in Annal. part. 2.*

CAPVT V.

Henricus à Sancto Benedicto Abbate reprehenditur; mox in Italiam ituro cum Otthone, Regnum mirabiliter à Sancto VVolfgango prædicitur.

I. DVm recèns indeptæ ditionis fines luſtrat *Henricus*, memorabile iter *Diui Benedicti* Patriarchæ comminantis indignatio fecit. Fortè religioſo huius domicilio receptus, non ſuâ, ſed vnius ex equiſônibus inconſiderantiâ, offendit in locum ſacrum: hic enim cùm præſepia non ſufficerent equis locandis, intra ipſa monaſterij penetralia, è Capituli, quod vocant, ſacratio, ſtabulum fecit, nullo reſpectu Fratrum, ne id auderet monentium. Hanc iniuriam ad ſe pertinere ratus *Benedictus*, vernilem impudentiam de Hero, cuius gratiâ is deliquiſſet,

quiſſet, vindicauit. Scilicet in viſu toruis ac minacibus oculis Ducem compellans, & multa minatus, demum virgâ quam manu geſtabat, dormientis latus percuſſit; ac vt euigilaret non terrore minùs quàm doloris ſenſu fecit. Experrectus itaque Dux in rem animaduertit, vix tamen ex eo tempore veſtigia ictûs non ſenſit, velut ſeminario dolorum, & calculorum ſubinde torquentium, in parte affecta conſtituto; donec idem *Benedictus* qui plagam inflixerat, medicinam feciſſet opportunam & plauſibilem, vt in loco narrabimus. Hinc tanta ei erga Sanctum Dei reuerentia, tantúsque amor nullâ non munificentiâ conteſtatus, quòd *vtramq; Benedicti manum, & vindicem & medicam* perinde ſe expertum fuiſſe crebrò narraret.

II. Inter hæc, anno Nongenteſimo nonageſimo ſexto, *Ottho* in Italiam, ad compeſcendam Creſcentij tyrannidem, profecturus, *Ratiſponam* diuertit, & *Henricum* itineris Comitem adſciſcit. Paucis diebus antequã is moueret, ad *VVolfgangi* cineres pro more ſe in preces dedit, ſed præter morem in vota effuſus, animo ſenſit inopinè ſpeciem viri, humanâ auguſtiorem, ſibi imminere, digitóque in notas, proximo parieti inſcriptas, intento, vt eas legeret iubere, dictóq; citius euaneſcere. Scriptum erat, *POST SEX.* Et patuit *VVolfgangi* fuiſſe oraculum, ſed torſit ænigma, dies, an hebdomadas, an menſes ſupremos obnunciaret. Quicquid id eſſet, vtendum

dum ratus foro *Henricus*, totiúsque vitæ maculas expians, pectus aduersùs mortem obarmat, ac deinceps, si vnquam in æterna mentem defixus, studio omnis pietatis, sed maximè largiendo vacare; denique præsentes salutis & recti cogitationes, in supremam horam integro animo transmittere. Sensus oraculi fuit, *Henricum POST SEX annos* Regem salutandum. Qui id post adeptum Regnum ad Imperium referunt, non considerant, nihil opus fuisse coniectore; quid enim præter spem magni, coronato iam Regi & Cæsari, tam inuolutè Imperium portendere? Ipse diem sumpsisset qui inauguraret: sed enim nullâ propinquâ spe, Rege Otthone adhuc vitâ, ætate & fortunâ florente, & qui propediem in *Vrbe* Imperator dicendus erat, Regnum *Henrico* prædicere, nisi eius nutu qui *tempora in manibus descripsit, VVolfgangus* nō potuit.

III. Rebus ex animo constitutis, iter in Italiam cum *Otthone* intendit. Vt prope *Rauennam* ventum est, vixisse *Ioannem Decimum quintum* Romanum Pontificem fama obnunciat, eique *Brunonem* Otthonis Sueuiæ, Bauariæque Ducis filium, cui nomen *Gregorio Quinto*, subrogatum; sed factione *Crescentij* Placentino Episcopo, nuncupatione Ioannis Decimi sexti, intruso, impeditum. Ea de causa, correpto itinere, sed irâ præcipitantiore ad *vrbem* appulsus *Ottho*, rem restituit, *Ioanne* ex Sede, ex mole Hadriani, quà se concluserat, deiecto *Crescentio*,

vtri-

vtrique fœdâ morte illatâ; cui, nisi iussio concitatior anteuertisset, *Henrici* pietas, & moderatio præsens erat. *Ottho* præmium vindicatæ Sedis, & integratæ pacis, tulit à *Gregorio Quinto*, Imperij Coronam, & consilij sui fructum, ne quis in posterum heres Imperij, sed liberis nominandorum suffragijs *Rex* & *Imperator* diceretur. Quippe non multis abhinc annis *Leo Octauus*, quô ad liberandam *Romanam Ecclesiam* à Tyrannis oppressam, Imperatorem prouocaret, *Otthoni Primo*, primus ipse concesserat, in quem vellet Imperij iura transcribere, eâdem potestate successoribus factâ, si hereditarium principatum optâssent. *Otthonis* certè laus est, non generis sui in Imperio propagatione, sed Imperij in genera transfusione, omnium Imperatorum gloriâ æquatâ, sibi nomen æternum apud ipsos peperisse. Pacatâ ad tempus Italiâ, *Ottho* in Germaniam reuersus est, mox iterum & tertiò in *Vrbem* reuocandus, *Henrico* toties fido Achate.

CAPVT VI.

Henrici in patria studia: Reditus cum Otthone in Italiam, & quæ hîc gesta.

I. HEnricus patriæ restitutus, pro more Ius populo dicit, Clero patrocinatur, per omnia religionis, & iustitiæ satagit, omnibus charus Princeps. Frequens ad aras, sed ad

ſacras *VVolfgangi* reliquias penè perpetuus, dum *menſes* euentu vacuos abijſſe memorat, ſecum reputans, cogitationem in annos ambiguè mittit. Interim audit *Geyſam* Hungarorum Ducem fato ceſſiſſe, & *Stephanum* rariſſimæ indolis ephebum, conſenſu & conſilio optimatum, regere. Annus erat huius ſeculi ſupra Nonageſimum ſeptimus. Quo nuntio permotus, officij duxit, per deſtinatos viros, lenitâ primum patris defuncti memoriâ, regnum gratulari; ſtudium deinde, amicitiam, & operam ſuam, quà opus ſit polliceri. Quæ tam religioſi Principis humanitas, magnæ deinde neceſſitudinis cauſa fuit.

II. Hæc inter, in Germania *Gregorij Quinti* de liberis ſuffragijs Decretum; varios, ſi alibi motus animorum exciuit; probabant illi, carpebant iſti; pleriſq; viſum libertatis ſpecie verſutiam tegi, quod ſtirpe *Otthonum* mox defectur â, maluerit horum poſtremus Imperium deerrare ad inopinos, quàm excelſiora nomina in genus infundi, receſâ omni affectatione, cùm adoptare licuiſſet. Nec ſatis conſtitit in ſtirpes, an in capita differendum Imperium. *Henricum* nec cogitantem, ſi res tuliſſet, multa commendabant, ſanguis, mores, anni, ſpecies, aura populi, fauor denique Principis (niſi captum eſſet) in hunc adoptandum meritò inclinandus. Indoles fecit, vt etiam *Henricus* non nihil pro ſe cogitaret, factiſque loqueretur ingenij lingua.

Anno

III. Anno sequenti Imperator secundò Italiam & *Vrbem* vidit, pietatis, rerúmque *Gregorio* Pontifice autore ordinandarum causâ, postquam *Sarracenos* vicisset. Instabat etiam iter ad *Garganum*, Angelorum Principi sacrum montem, quod *Romualdus Eremita*, religiosè ab *Otthone* consultus, eluendo ex cæde *Crescentij*, contra fidem datam, piaculo indixerat. Id ipse nudis pedibus, piè ac reuerenter confecit. Antequam tamen ex *Vrbe* proficisceretur, ad Diui *Clementis* vno conscio Comite, *Francone VVormatiensi* se contulit, ibíque per dies quatuordecim in crypta latuit, corpus cilicio, vigilijs, ieiunijs & orationibus mactans, quoad cælesti visione, diuina allocutio, veniæ securum fecisset. Hæc vulgò fide liberâ.

IV. Interim elapso iam anno, *Gregorius V.* decedit, die IV. Februarij in Sabbato. Mœstus Imperator successorem ad ingenium suum factum quærit. Id *Romanus Clerus* odoratus, studio placendi, *Gerebertum* olim *Rhemensem*, deinde *Rauennatem* Antistitem, Germanici sanguinis, *Siluestrum Secundum* legit. Eo nemo acceptior; sed non diu bona gratia stetit, quod leges suis moribus contrarias formari, populus inquies non tulit. Concursum ad arma, & repentè obsesso à furentibus Imperatore, cæsísque impetum arcentibus, actum erat de eius salute, nisi *Henricus* noster cum *Hugone Tusciæ Comite* in rem præsentem venisset. Hi dum se pa-

cis velut arbitros interponunt, *Ottho* subducendi se *Vrbe*, cùm *Siluestro* Pontifice occasionem habuit. Quod vbi *Romani* intellexissent, furore posito, in se reuersi, damnârunt infame scelus, duo nimirum Orbis capita, *Romanum Pontificem*, & *Romanum Imperatorem*, æternæ *Vrbis*, æternâ ignominiâ voluisse obtruncare, nullâ, nisi furoris & amentiæ causâ, ne sacris legibus obtemperarent. Deprecantibus errorem, metus futuri fulminis, ingentis instar noxæ erat; id quippe non nesciebant cudi, suo tempore vibrandum, in tanti sceleris vindictam, si *Ottho* superesset.

CAPVT VII.

Otthonis in Germaniam reditus, iterúmque tertius ad Vrbem cum Henrico accessus: Henrici in tumulando Ramwoldo Abbate pietas. In Italia mors à Romualdo Eremita Otthoni prædicta.

I. HOc, an priori ab *Vrbe* reditu *Aquisgranum Ottho* Imperator aduiserit, in medio est. Aduisisse constat, *(a)* & *Caroli Magni* Cæsaris ossa, rupto clam pauimento, inquisiuisse. Annus à sepulto centesimus octuagesimus quintus numerabatur. Offendit ea, in regio solio, sed nihil aliud regium, præter Crucem auream, olim è collo gestatam, & partem chla-

mydis:

mydis: Ita cineri nihil eximium; hanc sibi sumens morituro tesseram, reliqua decenter reposuit. Inde *Hamburgum* profectus, corpus *Benedicti Papæ Quinti*, sub *Otthone Primo*, in exilio, quinque & triginta abhinc annis defuncti, & continuatis miraculis clari, *Romam* ad suam Sedem cum muneribus remittit, pompam ducente *Racone Bremensi*. Prædixerat *Gregorius* uiuens, *Hamburgum*, & omnem circa Regionem, gentili gladio uastandam, nec stragem quieturam priùs, quàm exhumatum cadauer suum, *Romæ* redderetur. Idque experientiâ doctus *Ottho*, religiosè præstitit, *Germaniam* fato liberans.

II. Hinc ad visendas *Adalberti Pragensis*, nuper apud *Ruthenos* trucidati reliquias, in *Poloniam* concessit; præmium pietatis, *brachium Martyris* fuit; quod ipse deinde secum *Romam* afferens, in Ecclesia *Adalberto* dicata, condidit; Ea hodie *Bartholomæi Apostoli, Otthonis* eiusdem operâ hîc depositi, nomen præfert.

III. Dum hæc aguntur, Millesimus salutis exit annus, & nouum in *Vrbe* æterna seculum initiaturus Imperator, tertiam in *Italiam* profectionem indicit. Euocatur & *Henricus*, eidem nupero discrimine charior, magísque necessarius; sed *Italis* etiam authoritate gratus, quòd animum Imperatoris temperare nôsset, uerentibus Vindicis iras. Ante discessum *Henricus*, ducto funere sanctissimi Abbatis *Ramuuoldi*

cen-

centenarij, pietatem suam illustriorem fecit: quin & sandapilæ succollans cadauer tumulo intulit, factus seipso nobilior, quasi regnum affectantis esset humeris efferre, à quo in viam Regni salutis deductus sit.

IV. Fuit *Ramuuoldus* Diui *VVolfgangi* cognatione patruelis, innocentiæ merito *Ratisponæ* cœnobij ad Diuum *Emmerammum* Abbas, vbi maximis virtutibus integrum seculum illustrans, imminente morte, postquam fratres ad æmulanda charismata meliora hortatus fuisset, prædictâ illis ingruente graui persecutione, suo tempore sedandâ, singulos amplexus, Diuinæ gratiæ commendauit; & mox ad Oratorium deferri se precatus, conuerso capite ad altare *Sancti Benedicti*, pedibus ad Sancti Martyris *Kiliani* protensis: *dictâ Missâ lectâque Passione, & sumptâ demum Eucharistiâ* placidè se cōponens, spiritum Creatori suo remisit. Digna proinde viro tanto fuit pompa illa, quam etiam auxit *Gebhardus* Episcopus Ratisponensis exemplo *Henrici*, (*b*) veterésque offensiunculas supremo pietatis officio, syncerísque lacrymis detersit. *Henricus* ossibus in vrna, suâ manu, compositis & obseratis, clauem exemptam pignoris loco abstulit, atque etiam in fascibus deinde constitutus, velut insigne triumphi seruauit. Tumulus verò deinceps *Ramuuoldi*, quem ipse sibi quindecim ante annos parari curauerat, veluti cælestium beneficiorum promptuarium,

vo-

votis ſupplicantium nunquam irritis, frequentatus eſt.

V. Functus hoc officio *Henricus*, quod hodie fortaſſe nemo vel mediocrium ; ſuo faſtu componens, non ruboris argumentum reputauerit, ad Imperatorem Comes itineris acceſſit. Ingreſſus in *Italiam Ottho Papiam* primùm, mox *Rauennam* petit. Hic à *Romualdo* conuentus, monetur promiſſi, quo periurij & cædis *Creſcentianæ* abſolutus nuper, Imperium cum Monaſtico ſtatu commutandum receperat. Non abnuit Imperator, ſed diſtulit; quoad factionum capita *Romæ* obtruncâſſet. Tum *Romualdus*, Si *Romam ibis, ô Imperator, Rauennam non redibis*. Et cùm flectere non poſſet, obfirmatum ſibi relinquens, non ſine ſtomacho receſſit. (*c*) Poterat aduertere *Otthonis* animum *Nili Abbatis* ſtimulus , ad quem cùm aliquando à *Gargano* monte reduxit diuertiſſet, & gratiam petendi, quæ vellet eidem obtuliſſet: *Nihil*, inquit, *aliud abs te peto Imperator, niſi vt curam ſalutis tuæ agas, Imperator ſis licet, morieris, & in Ius ambulabis*: Audijt *Ottho*, & in lacrymas reſolutus, depoſito in manus *Nili* diademate ; obtentáque benedictione compunctus abijt.

VI. Sed ô tempora , ô mores , tantum Principem, ſi humana iudicia ſpectes, ancipitis periurij in capite nocentiſſimo vix reum ; tam humilis peregrinatio, tot ieiunia, vigiliæ, largitiones, lacrymæ non potuerunt abſoluere? Ecquis

quis magnatum ferat decedendum ſtatu, vel ſi Rempublicam, Religionem, Innocentiam excindat, nedum ſi periurio fidem vulneret. *Periurium* inquit ille (*d*) ſua tempora deteſtatus, *genus ſermonis eſt, non criminis; cædes, ludus; iure belli facinus inuentum, non quæſitum.*

a. *Adamus in hiſt. Ditmar. Baron.* b. *Adolphus Com.* c. *Damianus in Nilo.* d. *Saluian. lib. 7. de Guber.*

CAPVT VIII.

Otthonis Româ diſcedentis in itinere obitus: Henrici erga eundem, & languentem inſignis fides, & vitâ functum memoranda pietas.

I. ACceſſit tandem ad *Vrbem* Imperator Vindex ſcelerum, ſed moderatâ irâ, *Henrico* ſe in impetus objiciente: Paucorum ſupplicio res ſtetit, ceteris ſedatis; ſed ingenio fœminino exitium in Imperatorem deriuatum; *Ioanna* ea fuit *Creſcentij vidua*, quæ poſt mariti ſontis caſum, illecebrâ formæ, vt putatur, in conſortium thori Imperatorij aſcita, ſonticum morbum *Otthoni* fecit. Quocum luctante eo per menſes, dum nullo Imperium gubernaculo ritè continetur, coitiones palàm fieri inter Principes, & de abrogando languenti Imperio, transferendóque in *Henricum* agi cæptum. Abnuit ille conſtanter, nefas arbitratus, viuente adhuc

Impe-

Imperatore, quocunque ſortitu, alium legi; neque huc reſpexiſſe affirmans decretum, de liberis Principum ſuffragijs, cuius ipſe author fuiſſet, vt de Imperio priùs, quàm de ſtatione vitæ decedenti, gradus ſucceſſori fieret; alioqui poteſtatem optandi quem voluiſſet, ſibi ſeruaturo; languere quidem corpore Imperatorem, ſed mente integrâ, nec ad ægritudinis momenta inclinare imperium, ſi conſenſu optimatum iuuetur; ſecus nec conſeneſcendum vlli Principi, quando *ſenectus ipſa*, plerumque cum mentis inconſtantia, *morbus* ſit conſiderabilis. Sibi ſemel ſanctum eſſe, ad ſupremas *Otthonis* curas, hanc iniuriam non ſolùm non apponere, ſed ſi quid alij intentâſſent, pro viribus aduersùm ire; ita ſibi cum *Otthone* pro fide, cum Deo pro religione conſtare.

II. Hæc tam generoſa, & rara in ambientibus aſpernatio *Henrici*, & Principes admiratos, ad officium reuocauit, & *Otthonem*, vbi intellexit mirificè recreauit. Quare accerſitum, coram fidis miniſtris multo honore amantiſſimè collaudauit, vel hoc merito facturum ſe ei Imperij gratiam affirmans, ſi res integra eſſet; nec tamen dubium ſibi videri ait, *diuinam prouidentiam vltrò cumulatè reſponſuram*. Adiecit amantiſſimis precibus, pergeret interim in *Germaniam*, ſedaturus, ſi qui motus, vt ſolet, cierentur; ſe quoque lento itinere ſecuturum, & niſi aliter in cælo conſtitutum ſit, præliarem diem,

quem mors pridem indixit, in patria libentius obiturum. Dixit & vltimò complexum, nec amplius videndum; multis cum lacrymis dimisit.

III. Paucis post eius discessum, Imperator quoque *Vrbe* mouit; itinere versùs lacum *Fucinum Marsorum* flexo, eius aspectu & aurâ, quod cupiebat, oblectandus. Verùm in momenta declinans, & memor obnuntiatæ nuper à *Romualdo* mortis; curas omnes in æternitatem intendit, pijs suspirijs & lacrymis se accingens, quando iam vigilijs & ieiunijs etiam languens supra modum indulsisset; ac tandem accessu febriculæ, eâque ab vndecima die Ianuarij quotidianis incrementis auctiore; vigesimâ tertiâ; feriâ sextâ; inter suorum luctus & mœrorem extinctus; *Paterni* vicum ad eundem lacum, suâ morte nobilitauit; Desideratissimus Princeps; cum quo & *clementiam*, & *iustitiam*, & *largitatem* concessisse, bonorum lacrymæ testatæ sunt. Trigesimum ætatis annum haud dum excesserat; tum succisus, quando maximè aptus Imperio: puer hactenus, sed mente senili audiebat; quòd Regnum puer admodum accepisset.

IV. Cadauer defuncti equo impositum, (*a*) militari acie instructâ ductum est; pompam non funus putâsses, nisi atratum agmen, & stragula equorum; Imperatorem mortuum vehi ostendissent. Comitabantur Antistites *Coloniensis*, *Leodiensis*, *Augustanus*, *Constantiensis*. *Ottho* filius *Caroli*, *Henricus* & *Iunemannus Comites*. Ceterique

teríque complures, quos amor, vel obſequium *Otthonis* ad *Italicam* expeditionem exciuerat. Sed enim omnium ſtudia ſuperauit *Henrici* pietas, qui accepto primùm ferali nuntio non ſolùm habitu mutato luxit acerbè; & ad aras omnes lugubria ſacra indixit; verùm aduentantibus ex *Italia*, & iam *Bauariam* ingreſſis, longo Procerum, & Cleri Ordine obuiam iuit. Vt proximè ventum eſt, interruptis cæremonijs, ipſe primus vrnam amplexus, cùm nullum lacrymandi modum faceret, iam ſopitos familiarium luctus integrauit. Excuſſit dubio procul pium *Henrici* pectus, & *Otthonis* amor, & fluxa humanæ felicitatis conditio, quam in præſenti imagine ſpectabat, Cæſaris nimirum, meridiem ætatis nondum prætergreſſi, & in medio gloriæ curſu intercepti, vt qui occaſu, virtuti licet, vaſtis tamen cogitationibus haud maturo, ſtirpem quoque ſuam ruiſſet.

V. Confluxerant ad funeris ſpectaculum *Bauariæ Proceres*, ſacri profaníque, exemplo ſui Principis amicò pietatis certamine geſtientes; ſed *Henrici* officium ſeſe extulit, quando non funeri duntaxat honorem exhibuit, ſed feſſum etiam itinere, mœſtúmque luctu exercitum liberali hoſpitio excepit, & per dies aliquot blandè muneribus etiam fouit, amicitiâ iungens, quos milites habiturus erat: Vt *Muneburgum* acceſſerunt, ipſe ſandapilam ſubijt, & funus Imperatoris in Ciuitatem ſubuexit, dignus vtiq;

tantæ pietatis & modestiæ baiulus, qui mortuo succedens, eosdem mox humeros Imperio ferendo supponeret. Non hîc supremus stetit honor, verùm recreato exercitu, *Augustam* vsque suis impensis funus deduxit, ibíque in Basilica *Sancta Afra*, non procul à Diui Antistitis *Vdalrici* tumulo, exta Imperatoris duabus vrnis composita, decenter condidit; & ad placandos manes singulari Christianæ pietatis argumento, *centenos* eidem Ecclesiæ, vt iura loquuntur, *Mansos*, hoc est, prædia contribuit. Eâ procuratione perfunctus, nondum fessâ pietate, ne *Aquisgranum* vsq; comitaretur, ab *Henrico Mosellano*, suo ob *Chunigundam* cognato, persuasus, missionem dedit. Ita omnibus consalutatis, ipse quidem in sua discessit, illi vero *Aquisgranum* pergentes, hîc reliquum Imperatorij cadaueris, ad *Diua Maria* quam is vnicè cultam plurimâ facultate ditarat, honorificè sepeliunt.

a. *Glaber*.

CAPVT IX.

Henricus in Regem eligitur, eiúsque in Regno obtinendo labores.

I. SExtus iam proximè effluxerat *annus*, à quo *VVolfgangus*, Cæli Ciuis inaugurandum *Henricum* oraculo præmonstrârat; Et instabat dies rei explicandæ. Nec dubium, sub ambagibus incessisse *Henrico*, nouo Imperij candida-

didato, *VVolfgangum* diuinæ mentis interpretem si de Regno agebatur, facturum dicto satis, ambitione competitorum minimè labefactando, dum & ipse ritè & ordine prensâsset. Fecit verò id indole, moribus, religione & pietate, iisque omnibus, quæ hinc proficisci possunt artibus, nec dissimulanter iam fastigio imminebat; sed modò suffragatores, modò illos, quorum beneuolentia honori suo commodare poterat, subibat. Ceterùm difficilior reddebatur exitus, & nouitate sortiendi, & genere numeróque ambientium, in quibus delectu quodam errare suffragia quirent, nisi pridem omnium vota *Henrico* prælusissent, quando languente *Otthone*, purpuram ostentârunt; iniecturi, nisi ipse fidei, paternique olim moniti memor, detrectâsset.

II. Redegerat etiam *Augustalia insignia* in potestatem *Henricus*: *sacram* duntaxat *Lanceam Heribertus Coloniensis* Antistites, morienti *Otthoni* præsens auectam, in tuto seruârat, quoad ritè salutatus *Rex* eam capesseret. Hanc ex clauis Christi crucifixi miro opere confectam, à *Constantino Magno* tradunt authores, (a) postea verò per manus acceptam, venisse ad *Sampsonem Comitem*, (b) & ab hoc traditam *Rodulpho Regi Burgundionum*, à quo tandem *Henricus Primus, Rex Germaniæ*, minis, muneribus, additâ etiam parte Prouinciæ *Sueuorum*, extorserit. Eâ porro, summâ veneratione habitâ, ac toties in prœlijs antelatâ, *Henricum* hunc triumphâsse

ſe de hoſtibus conſtat; poſtea verò decedentem, filio *Otthoni Magno* tradidiſſe, adeóque poſteris ad inſigne & tutamentum Imperij reliquiſſe; nunquam vt iter longius aut bella ſuſciperent, niſi, vt loquitur Arnolphus Comes, (c) *præcedente ſancta & crucifera Imperiali Lanceà.* De cuius forma alibi in loco diximus, (d) reiectâ eorum ſententiâ, qui ſiue hanc, ſiue aliã lanceam eidem *Henrico*, ab *Hugone* in *Gallia* regnante datam affirmant; ſcilicet à *Carolo Magno* relictam, quam is contra *Sarracenos* ducens, quoties in hoſtes vibrâſſet, vincebat; eámque ipſam fuiſſe, qua *Longinus Centurio* Domini latus aperuit. (e)

III. Ad Hiſtoriam redimus. *Henricus* præſentium omnium ſuffragijs *Rex* deſignatus eſt, in tempore & loco ſalutandus. Sed *Heriberti* factum, appoſitâ apud eum calumniâ, inuidiâ non caruit, quæ ſanè circumuenti nomen *Henrici*, poſtea tamen non ſerò pœnitentis, aliquantùm grauauit. Interim *Hereberto* cuſtodijs ſepto, non antea poteſtatem abeundi fecit, quàm fratrem obſidem dediſſet, liberandum, quando *Lanceam* attuliſſet. Non ſubiuerat *Henrico*, quanta ſemper fides *Hereberti* in rebus gerendis fuerit, quantúſue amor recti, & in diſcernendo pene maior quàm humana prudentia; cuius monitis & conſilijs quamdiu paruit *Ottho*, ſecundè ſemper habuit; cùm primùm ab ijs receſſit, non ſuo tempore mortuus eſt. Ceterùm vt Deus *Dauidi*

para-

parauerat quidem *Regnum Israel*, cuius tamen initi possessionem peccatum Regis grauem fecit; prorsus & *Henrico* destinati Regni adeptio difficilis fuit, multisque conflictata malis: Noxa, si non penes licentiorem ambitionem, certè penes immeritam *Heriberti*, *Christi Domini*, insectationem: Ita in humanis ludente diuinâ prouidentiâ, vt hinc splendidior esset pœnitentis, quàm regnantis corona. Rem ordine paucis narrabimus.

IV. Primi omnium *Saxones* gentis suæ comitia celebrarunt, (f) *Gisilero Magdeburgico Primatis* authoritate moderante. Inter Principes *Bernardus Dux* & *Lotharius*, *Gero* & *Erhardus Thuringiæ Marchio* eminebant. Hic postremus ardui animi, regnum spe complexus, dum præsidentiùs agit, libertatem sententiarum arctaturus *Lotharium* offendit; negantem hoc conuenticulo de *Rege* deliberandum, absentibus ijs, penes quos ius suffragij esset, ne soli *Saxones* Imperio Principem, vsurpato iure velint obtrudere. Proinde affirmabat, experiundum esse in proximo *VVerdensi* conuentu, non arte sed calculis, si quid præiudicatum sibi optent. Acquiêuere omnes, præter *Erhardum*, palàm quiritantem, corrumpi sibi à *Lothario* fortunam; scilicet præcipitanter auriganti sufflamen adhibendum erat. Hæc in *Saxonia*.

V. Grauior in *Sueuia* obiectus est æmulus *Dux Hermannus*, & suopte ingenio, & quorun-

dam Principum promissis mactus; nec nisi spe fractâ (quod difficile videbatur) Spiritum remissurus. *Henricus* Patrui consilium secutus, religione magis quàm ambitu, idoneum hominem ad Proceres *VVerdæ* congregatos misit, qui singulorum sensa prudenter exsculperet; aptis, vbi opus, responsis euincens, ne quam virtus ad *Regnum* sibi viam muniuisset, inuidia corrumperet. Huius oratio tam opportuna fuit, vt palàm & consensu diceretur, si vota publica rogentur, *Henrico* nihil certaminis superesse, cui & defuncti *Otthonis* sorores *Sophia* & *Adelhaidis* tunc *VVerdæ* commorantes commodùm aspirabant. Quæ vox ominosa cum omnem pudorem & modestiam *Erhardo* expectoràsset, homo impotentis animi, & qui pro *Rege* se palàm gerebat, inde se proripuit; scilicet apud *Hermannum Ducem* nō minus æstuantem, ambitioni suæ frigidam affusurus. Quo dum impetu magis, quàm consilio fertur, insidijs *Northmannorum Comitum* interceptus, caput coronæ destinatum percussoribus dedit; quod circumlatum hostibus ludo, ceteris spectaculo fuit.

VI. *Henricus* hoc æmulo sublato, nobilissimis suorum comitatus, ne primordia regni cruore captaret, *Hermanni Ducis*, itinera obsidentis insidias cautè declinauit; ac per certa diuerticula ijs elusis, *Moguntiam* ingressus, publicâ gratulatione exceptus est, ac tandem

faustis

fauſtis omnium acclamationibus à *VVilligiſo Moguntino Antiſtite* Regno inauguratus, anno Salutis à Milleſimo ſecundo, die ſexto Maij, in Sabbato.

VII. Poſt hæc, decretum Reipublicæ cauſâ bellum in *Hermannum Ducem*, qui niſi domitus, ad officium rediturus non credebatur. *Henricus* militem in *Sueuiam* ducit, patriæ vaſtatione ferocientis animum, ſi poſſit, fracturus. Verùm is contemptis domeſticis cladibus, aut certiori cogitatione auertendis, *Argentoratum* adoritur, & Præſidis perfidiâ breui capit. Miles fœdè victor, nihil vſquam ſceleris prætermiſit, ferro, rapinis, ſacrilegijs, incendijs, ipsâ Diuæ Virginis Æde, propter quam ciuitas viſebatur, primùm expilatâ, deinde exuſtâ. Inde, relicto infamiæ ſuæ monumento, *Henricum* in Acronij lacús inſula, natalem *Ioannis Baptiſtæ* religiosè agentem, ad pugnam depoſcere viſus, fefellit, motis quippe regijs caſtris, & ſignis aperto campo explicatis non comparuit. Ita dies inutili morâ extracti, & ingratum militi otium, ſugillationi Regem obiecit. Nam quòd religioſiſſimus eſſet, nec vllas celebriores ferias incultas tranſmitteret; tædebat eos ſanctitatis, qui bella præoptabant, vt diteſcerent, nec tam ſupplicare ad aras, quàm ſpoliare Templa amabant; vulgato eo prætextu, præ pietate hoſtibus eſſe circumferre arma, modeſtiam noxæ dari. Et ſaltem ſi confligere non luberet, vaſtatæ

Argentinæ probrum, hostilis cuiuspiam Vrbis direptione, pensandum aiebant.

VIII. Ceterum *Henricus* sui similis, impietatis damnauit exemplum, nec *Hermanni* scelus tanti duxit, vt innoxio sanguine pro eo decerneretur; addens nunquam se regendi, bellandíque artes ab ijs mutuaturum, qui militum animos, non fiduciâ causæ, sed auri accenderent, stipendia ex cruore designantes; alioqui non videri cur pro iustitia potius quàm pro impietate, Reipublicæ vota suscipiantur. Ita *Henrici* religione & effrenis militum cupiditas inhibita, & Vrbes ad direptionem idoneæ, quæ fluxâ fide *Hermanni* Ducis partes, inhoneste antepofuerant, seruatæ sunt; & denique plurimorum populorum saluti fortunísque consultum.

a. *Sigeb. ad an. 929.* b. *Histor. Bremens.* c. *In vita Otthon. III.* d. *In Annal. Eccles. ad an. 929.* e. *Beda lib. 2. c. 8.* f. *Ditmar. lib. 4.*

CAPVT X.

Henrici, noui in Regno labores, Chunegundis Regina salutata, Hermannus Dux in gratiam receptus; Ghisela soror Henrici Stephano Hungariæ Regi nuptui tradita.

I. NIhil est tam contrarium necessitudinis humanæ legibus, quàm contumaces ferre, quos beneficijs saginâsti. Id *Henrici* vir-

virtutibus, insigne ab *Henrico Bertholdi* filio argumentum fuit. Huic enim intempestiuè *Ducatum Bauariæ* postulanti, negauit *Henricus Rex* sibi, vt maximè optet, integrum esse, nondum reddità *Germaniæ* pace, firmatísque regni primordijs: tum Comitijs liberis, addidit facturum se, quà liceret, voto satis, nunquam aliàs maturando. Iniquè hanc repulsam tulit, ambitiosus orator, dilatam spem perinde, ac negatam interpretatus; dissimulauit tamen callidè, vt ex eo die non desisteret, improba secum versare consilia, quoad occasio facinori commodùm arma minstrâsset. Ea non diu morata est, vbi enim in *Saxoniam* venit, quò se verteret, scelus explicaturus, circumspexit, & ex ingenti Procerum numero, qui Regis adorandi, fideíque dandæ studio affluxerant, *Boleslaum Poloniæ Ducem* inuenit, qui post solenne Sacramentum Regi dictum, mutato clam consilio, in caput Regis vnâ coniuraret. Non paruas hic daturus est turbas, *Hezelonis* potissimum repulsi furijs accensus, donec variante non minùs fortunâ quàm toties reconciliati *Hezelonis* fide, (a) tandem debellatus quiescet; inuictâ semper *Henrici Regis* clementiâ, quâ perinde, atque armis partâ, vbique trophæa erecturus est, hoc maiori etiam laude atque admiratione, quò maior est *victoria suiipsius*, quàm *Vrbium expugnatoris*.

II. Rebus in *Saxonia* compositis *Henri-*

cus ad *Lotharingos* digressus, *Chunegunden* coniugem *Gruonæ* obuiam habuit, & deductam, *Paderbornæ*, Diui *Laurentij* natali, religione sibi auspicatissimo, *Reginam* salutauit, ne honoris, accessu Principum gratulantium delati, ipsa expers foret. Mox *Dinsbergam*, & hinc, comitatu *Leodiensis*, *Cameracensis* ac tandem *Coloniensis* Antistitum auctior, *Aquas Grani* profectus, Diuæ Virginis natalitijs, in *Caroli Magni* regia Sede à *Lotharingiæ* Proceribus adoratus est. Ita omnibus officium facietibus, solus ex *Germanis Principibus* restabat *Dux Hermannus*, quem tamen audacis cæpti iam pœnitentē, erudita monitrix conscientia docuit, *Henrici* clementiam experiri satiùs esse, quàm tot naufragijs in alto miserè superstitem in portu tandem mergi. Ergo *Henrico Bruxellæ* agenti, præmissis deprecatoribus, ipse velut è reatu sordidatus ad pedes se abijcit, & deformi spectaculo, necdum voce missâ, ita mitissimum Regis ingenium flexit, vt humi quantocyus leuato veniam haberet, & vltrò gratiam apponeret, non aliâ dictâ multâ, quàm *Argentinensis* Ecclesiæ in pristinum restitutione, quod vt minimo eius incommodo fieret, fortunam & titulos, quibus noxâ legum exciderat, eidem instaurauit, clementiâ iuris etiam æquitatem superante.

III. Demùm in *Bauariam* suam concedens, *Ratisbonæ* ius dicere constituit, eâ authoritate, & Legum constantiâ, quâ nihil priuatæ

gra-

gratiæ, sed bono publico per omnia velificatus, virtutis suæ haberet admiratores, perinde & adoratores. *(b)* Quo etiam loco & tempore, exauctorato *Boleslao Bohemorum Tyranno*, Principem illis dedisse fertur *Blademarium*, amplissimísque cultum muneribus in Prouinciam misisse; de qua re tamen recentiores rerum Bohemicarum Scriptores altum silent.

IV. Iam verò securus Regni, & regiam potentiam regiâ quoq; cognatione decoraturus, *Giselam*, sororem *Stephano Regi Hungarorum* despondet, Virginem paris ætatis, annum circiter vigesimum agenti, nec dissimilium morum. Mouit *Stephanum Henrici* sanctitas, gestorum gloria & religio, cuius etiam opem conuertendis, quod supererat, in Regno infidelium, totáque *Hungariâ* Catholicè stabiliendâ, cõmodam sibi futuram non nesciebat. Mouit & *Henricum Stephani* præstantia, & ingenita quodammodo vitæ sanctimonia; id propter, nihil ducebat antiquiùs, quàm huiusmodi affinitate pacem Reipublicæ salutarem conciliare; proinde postulatam à *Stephano* sororem vltrò tradidit, pari cum viro sanctitate, fouendáque *Germanos* inter & *Hungaros* concordiâ, certaturam.

V. Errant, qui tradunt, *Gysela* pulchritudine per nuncios & pictores acceptâ, arsisse *Stephanum* eius conubium: quæ tamen asperna ta sit, nisi is abiecto prius Idolorum cultu, *Christo* nomen dedisset: placuisse conditionem *Hun-*

garorum Regi, ne venuſtiſſimâ puellâ non potiretur; & mox cum *toto Regno Chriſtiana ſacra* complexum, *Stephani* nomen tuliſſe, *Henricum* verò, quòd datâ ſorore gentem conuerterit, *Hungarorum Apoſtolum* audire. Cui fabulæ inter alios aſſenſi videntur (*c*) *Sigebertus*, *Cranzius*, *Cuſpinianus*, non conſiderantes ex Chriſtianis pridem parentibus, & diuino monitu appellatum *Stephanum*, id genus pactione procul fuiſſe, & *Henricum* vltrò, adamatâ eius virtute, fauiſſe tam opportuno coniugio, quòd ad religionis in gente iam bonam partem conuerſæ, incrementum & ſtatum, haud parum momenti allaturum conſtabat. Ad vtrumque certè reſpexiſſe *Gyſelæ*, fratriſque *Henrici* pietatem & zelum euentus oſtendit. Vt hoc propter, & hic *Apoſtoli Hungarorum*, & illa *Adiutricis* fideliſſimæ vocabulum tueri queat. Neq; plus affirmat (*d*) *Eugenius Tertius*, dum de *Regis Stephani*, & totius *Hungariæ* conuerſione *Henricum* laudat: vel *Martyrologium Romanum*, (*e*) vbi eundem, *Regis* & vniuerſi ferè *Regni* ad *Chriſtum* adductione, inſignem prædicat; quando viciſſim *Stephanum* ipſum, haud memorato *Henrico*, primùm *Hungaros* ad *fidem Chriſti* perduxiſſe luculentè notat.

VI. Veriſimile porro eſt, *Romanum Pontificem*, præcipuum auſpicem haſce nuptias conciliâſſe, nec defuiſſe Regis vtriuſque ſtudium qui tam ſanctam, & vtilem Orbi Chriſtiano affini-

finitatem vltrò citra Pronubos ambiuerint. Celebratas in Castro *Schurensi* in *Norico*, præsente totâ gente cognatâ, Scriptores sui tradunt: adfuisse verò conuenientibus in manum sponsis, & Sacris cærimonijs perfunctum, aut *Romanæ Sedis Legatum*, aut *Athanasium Archiepiscopum*, qui tum pro *Sebastiano Strigoniensem Ecclesiam* regebat, magnis de caussis à *Stephano* ad *Henricum* mitti solitum. *Henricus* certè viri sanctitate & arduis consilijs æstimatis, nihil non honoris ei deferebat. Deductam postea in *Hungariam* regio comitatu *Gyselam*, mox verò & *Chrismate* vnctam, & *coronâ regiâ Sacrâ* redimitam, alibi ostendimus.

a. *Dithmar.l.4. Baron. Tom.11. ad an. 1005.* b. *Bruner. lib 8. rer. Boicar. Æneas Silu. in hist. Bohem.* c. *Sigeb. ad an. 1009. Cranz. l.4. Metrop. c.3. Cuspin. in Henr.* d. *In Bulla Canoniz.* e. *Ad 20. August.*

CAPVT XI.

Henricus in Italiam vocatus ad compescendam Harduini Tyrannidem, Otthonem Carentanũ mittit, successu parum felici. Eius in Germania administratio, pietas, iustitia, constantia, patientia in aduersis.

I. DVm hæc in *Germania* aguntur, *Harduinus*

duinus siue *Harduigus Dodonis Marchionis Eporediæ* filius, tyrannidem occupat, & *Regem Longobardorum* se dicit. Scilicet *Otthone* Imperatore defuncto, *Italiam* vendicaturus, plausibili somnio seculum sibi aureum promiserat. Vix regnare cœpit, & omnium animos à se auertit, quòd potentiâ ciues exercens, opes etiam inuisis artibus, (qui tyrannidis neruus est) ad se congereret. Tum verò maximè odia accendit, cùm in *Brixiensem Episcopum*, iuris sui assertorem, manus inijciens, nihil tale commerentem, humi indignè allisit. Quod vt innotuit, illico ad abrogandum ei Imperium, ab omnibus Ordinibus concursum est. Primus (*a*) *Arnulphus Archiepiscopus Mediolanensis*, concilio suorum coacto, vitio creatum palàm pronunciauit. Summa præiudicij fuit, se inuito, cuius erat *Regem Italiæ* ex instituto *Magni Gregorij* inaugurare, furtiuum diadema, nullo nisi scelerum merito sumpsisse.

II. Eo igitur deturbato, *Henricum* agnoscũt, atque vt in *Italiam* veniat, vel certè potestatem ad res ordinandas mittat, per Legatos orant. Annuit *Henricus*; sed suâ profectione dilatâ, *Otthonem Carentanorum Ducem* ire iubet, exilibus copijs additis, quòd qui vocâssent Clientes, operam largè polliciti fuissent. *Harduinus* conscius, ne *Itali Germanis* iungerentur anteuertit, & in quingentos ipso itinere defessos, quindecim mille armatos integris viribus ducit; nec

sine

ſine impendio & funere ſuorum, ſic demum vincit, vt auertiſſe illos pro victoria fuerit.

III. Interim *Henricus* ex *Bauaria Francofurdum* digreſſus, legatiſq; audiendis intentus, poſt ferias natales *Theodonis villam* petit, & habitis Prouinciæ Comitijs Reipublicæ conſulit, magnâ pij & fortis Principis laude, quando reſpirante paſſim iuſtitiâ, pauperes ac potentes, æquato iure, perinde cenſuræ obnoxios fecit. Hinc *Aquas Grani* ad anniuerſaria iuſta *Otthoni Tertio* perſoluenda cum petiuiſſet, in itinere, morbo velut ſtimulo pietatis excitatus, *Traiectum* deinde abijt, ad *Diui Seruatij* reliquias piè viſendas. Quanti enim apud Deum eſſet meriti, ex ſepulchro eius in aggere publico olim poſito, & continuis miraculis clareſcenti didicerat, multóque magis cùm procedente tempore *Monulphus Epiſcopus*, celebri in vrbe baſilicâ, eius honori conſtructâ, ſacras reliquias tranſtulit, & ad Templum ornandum Principibus certatim affluentibus exemplo fuit: quos omnes *Henricus* Myſtarum Collegio addito, *Seruatium* æterno cultu augens, ſuperauit.

IV. Hîc de *Italicæ* expeditionis ſucceſſu audiuit, nullâ vultûs animíque mutatione, pari vtrique fortunæ ferendæ conſtantiâ, quam paulo poſt & dolores colici, (ſonticum malum) & *Blademarij*, quem *Bohemis Principem* dederat, obitus exercuerunt; patientiâ ex ijs quæ ſequuntur, mirum in modum conflictatâ, nun-

quam

quam tamen deuictâ. Nam *Boleslaus*, *Bohemiâ* quondam deiectus, cognati sanguinis cum *Boleslao Polono* fiduciâ, non expectato *Henrici* consensu, *Bohemiam* occupat, ipso tamen in limine Principatus, Deo tot parricidia vlciscente occumbit, iisdem quas in fratres suos exercuerat artibus, à *Polono* per simulationem amicitiæ perditus. Qui, suo tempori seruandus, *Pragam* interim, totámque *Bohemiam* in potestatem redigit, pluráque alia loca non sua, sui iuris facit. *Henricus*, etsi luculentâ iniuriâ affectus, ingenio tamen sub vsus, Legatis ad eum missis, monuit humanitate secum, nô violentiâ certaret, vltro suâ voluntate *Principem Bohemiæ* salutandum, si modestè quæsiuisset; alioqui omnia illi exempla esse metuenda quæ ipse in cognato sanguine edidisset. Verùm nihil profecit, gliscente *Boleslai* contumaciâ, maximè ex fœdere & instigatione *Hezelonis*, de quo suprà diximus.

V. Interim diuinâ prouidentiâ, mœsta cum lætioribus alternante, valuit humanitas Regis apud *Rhedarios* & *Luiticos*, vt hi barbari, perpetui *Saxonum* hostes gratiam inirent, quam *Boleslaus* negligebat. Quo etiam tempore è bello *Italico* reduces, *Otthonem Carentanum*, & *Ernestum Theobaldi Marchionis filium*, ex animo amplexus, pro nauata egregiè opera collaudauit, successum contra vota, non ignauiæ, aut affectæ fidei: sed aleæ belli adscribens, eorúmque præsentiâ mirum in modum, at non diu gauisus

uisus est. Nam alter horum, nempe *Ernestus*, oblitus fidei, honorum, & honestorum ex *Italica* pugna vulnerum, ad castra *Boleslai* transijt. Sed multò magis adhuc animum *Henrici* sauciauit, *Brunonis* quoque fratris sui germani perfidia, qui idem ausus, non modò coniuratis fiduciam addidit, verùm etiam detractâ sceleri infamiâ, dignitatem afferre visus est.

CAPVT XII.

Henricus Rex in rebelles ducens, armis iuxta & clementiâ vbique vincit, Ecclesiam Merseburgensem restituit, Hezelonem & Brunonem fratrem, magno pietatis sensu commotis omnibus, in gratiam recipit.

I. HEnricus Rex *Boleslao* ad tempus omisso, totus in *Hezelonis* vindictam intentus, (*a*) collecto ex *Francis*, *Lotharingis*, & *Bauaris* exercitu, in *Franconiam* ducit: nullo rebelles consistere loco passus. Obsessæ mox *Amartalæ* Vrbis excidio, receptâ omni, quam eò congesserant prædâ, vitam prædonibus indulget, auxiliares *Boleslai* cohortes libertate multatas, sub signis suis redigit. *Hezelo* paulò pòst in sylua obsessus, ne in manus veniret, clamore militum incauto latebris excessit, suósque discrimini reliquit. *Ernestus* in potestatem ve-

niens, perfidiæ noxam, *VVilligisi Moguntini Antistitis* apud Regem gratiâ declinauit. *Bucco*, audita fratris *Hezelonis* fugâ, Castrum *Crusinæ*, quod *Gerbergam* vxorem *Hezelonis*, cum liberis & fortunis seruabat, *Henrico* dedidit, pactus liberam cum sarcinis dimissionem: tectis faces subiectæ; sed mox Regis clementiâ sopitæ, *Hezelo* cum *Brunone*, & reliquis coniuratis ad *Boleslaum Bohemiæ* vsurpatorem profugit.

II. Supererat *Hezelonis* regia, quæ vt in cineres subsideret Domini crimina deposcebãt, missi qui id *Eilæ* matri obnunciarent, ac vt busto se eximeret monerent: Ipsa repentè perculsa, nec initio compos fandi, recepto animo dignam forti feminâ vocem protulit: *quando patrios focos tueri misera anus non possum, cineres meos cum aris ardentibus confundam*: Dixit & protinus gradu concito in Templum se abdidit. Moti ætatis reuerentiâ, & Matronæ dignitate, qui missi erant, opportunúmque Regiæ clementiæ argumentum rati, mœnium & paucarum ædium ruinâ, â ceteris cauerunt, immò & de hoc damno, si Rex annuisset, cumulatiùs ornatiúsque præstando, receperunt. Placuit *Henrico* tanti de se fiducia promissi, neque tamen passus est spondentium miserationem & liberalitatem, in restituendis Vrbis ornamentis, suæ clementiæ & munificentiæ præualere, ipso vltrò suppeditante, quibus opus esset. Et hactenus si sat vindictæ, plùs

etiam

etiam misericordiæ datum; in quo genere maius est, quod subijcimus.

III. *Giselerus Magdeburgensis Antistes*, Ecclesiæ *Merseburgensis* res, malo more occupatas vsurpârat, nec morti proximus ad cedendum induci patiebatur. Monitus religionis ab *Henrico Rege* per Legatos, dum cunctatur, spatio ad deliberandum, nō perinde ad viuendum impetrato, intra biduum extinguitur. *Henricus* eodem tenore pietatis (*b*) *Taymonem* præstanti vitâ virum, cui eam dignitatem *VVolfgangus* prædixerat, subrogat, eiúsque opera *Merseburgensem Episcopatum*, pristinis iuribus vendicatis instaurat. Quippe vt primùm mitram *Taymo* induit, *Gisileri* præcessoris rationes emendauit, & pijs *Henrici Regis* studijs obsecundans, eidem Ecclesiæ Episcopum suum possessionésque direptas, concerptásque restituit. *Henricus* voti compos, pietatis suæ fructum paulò pòst non modicum percepit, humiliato, quem perdomitum cupiebat, *Hezelone*.

IV. Hic enim *Boleslai Poloni* aduersùs *Henricum* assiduus concitator, cùm ex vastatis finibus vexatísque fortunis alienis, solam, citra emolumentum, inuidiam in se redundare animaduerteret, pertæsus rebellij, *Henrico* se permittere statuit; securus clementiæ, quocunq; tandem periculo constitisset. Vsus ad hanc gratiam *Taymone* Archiepiscopo, Regi se stitit, & squalore ipso habitûs, & oris lacrymis infusi, nullâ

exceptione noxam fassus, dum omnia dira trepidus expectat, clementia intercessit; ac tantùm honestæ custodiæ traditus, non sceleris, sed voti se damnatū lætus agnouit, lætiori pietatis Regiæ argumento suo tempore liberādus.

V. His auditis *(c) Bruno* fortunam clementissimi fratris, an sanctitatem admiratus, quippe qui tot perduelles citra cruorem, & vltro se dedentes debellâsset; an etiam conscientiæ stimulis actus ad frugem respexit; ratus magis idoneam sibi fratris clementiam, quam alij lacrymis flexissent, vt iure sanguinis expugnaret. Verùm quia fraternæ perfidiæ vulnera, sæpe vel ipso aspectu rebellant, patronos adhibuit potentissimos, *Stephanum Regem Hungariæ*, & *Gyselam* coniugem, quid enim non posset soror, quid non talis cognatus? Vtriusque tamen vota *Henrici* pietas & clementia anteuertit. Vix pullatus, lacrymis vbertim manantibus, ad pedes accidit *Bruno*, & mœsto silentio, quando vox minimè constitit, perorante reum se agere, vix Legati Regum suorum verba ordiri, cùm ipse siue amoris vi, siue ingenij facilitate, & lacrymas fratris, & horum orationem, lacrymis suis abrupit, nec modò dexterâ, sed & osculo dato, innocentem pronunciauit, hac duntaxat inter sincerissimos amplexus addita pœnâ, *ne vnquam iniuriarum meminissent*. Factum pulcherrimi exempli, tot laudatores habuit, quot cum spectatoribus, arbitros, optimo loco esse reputantes

tantes, qui apud *Henricum* offendissent: nec quisquam fuit, qui paucis post mensibus & debellatum in *Italia Harduinum*, & susceptam *Augusti* à *Romano Pontifice coronam*, non huius pietatis prœmium existimârit.

a. *Adelbold. de reb. gest. S. Henr.* b. *Ditmar. l. 5.* c. *Adelbold. de reb. gest. S. Henr.*

CAPVT XIII.

Henricus Rex in Italiam ducit, Harduinum compescit; Ticini periclitatur, Ciues perfidiæ pœnam luunt: Mediolani coronatur.

I. REbus in *Germania* constitutis, *Rex Henricus* toties inuitatus, curam in *Italiam* vertit, *Harduinum Regem vmbraticum* in ordinem redacturus. Decreta est expeditio *Henrico Mosellano*, *Chunegundis* fratri, dato in manum *vexillo*, vel vt loquitur Ditmarus *hastâ signiferâ*; quem in gratiam *Reginæ*, *Boicæ gentis Ducem* appellauit; non multò pòst ob seditionem, amouendum; vt nunquam *Henrico* deesset lacessitæ patientiæ clementiæque argumentũ. Traductæ quam primùm superatis *Alpibus Rhæticis* copiæ; Et quamuis *Harduinus* non imparatus, angustijs faucium præsidio occupatis, castra iam in *campis Veronensibus* munitissima haberet, *Henricus* tamen longo licet viarum anfractu circumductis suis, per *Carantanos calles* e-

uadit, & duabus turmis factis, alteram silenti nocte præmissam in insidijs locat, alteram sub lucis ortum eductam, palàm hosti ostentat, & loci fiduciâ, tutóque ac facili receptu fretum ad pugnam elicit. Quæ simul ac cœpta est, primi inopinos à tergo adorti, tanto pauore perculerunt, vt arreptâ quâquâ versùm fugâ, qui gladijs superessent, *Brentæ* amnis fluctibus haurirentur.

II. Instabant feriæ *Christi Patientis*, (*a*) quibus *Henricus* cum toto exercitu vacaturus, capto ad amnem statiuijs loco, parcendum ferro edixit, *piè & religiosè* cogitans, nefas esse triduo illo cruorem humanum spargere, quo *DEI Filius* pro humani generis redemptione suum effudisset. Triduo altero, *Christo de morte Triumphanti sacro*, erectis & ipse ad reportandum de hoste triumphum, militum animis, *Brentam* superauit; misśísque exploratoribus, tuta omnia, hostem nusquam comparêre intelligit, ignarâ etiam famâ, quô *Harduinus* euasisset, odio suorum, an *Henrici* metu. Pietate castrensi, quæ rara militibus est, viçisse *Henricum* opinio fuit; cui addita etiam *Archiepiscopi Coloniensis Henrico* hortante religio, vt sacrum Chrisma, rogatu multorum conficeret; in *duodenis* quippe *Episcopatibus*, inquit Adelboldus, *circa introitum Italiæ, die illo maiori*, nempe *Sabbato*, in *confusione præsenti*, *nec Episcopus erat*, *nec Chrisma sacratum*.

Illicò

III. Illicò acceſsêre *Vrbes Italiæ*, iactatis certatim obſequijs, *Verona* prima, vt *patriæ patrem*, accepit; *Brixiam* ingreſſus *Rauennatem Antiſtitem* obuiàm habuit; *Bergomi* quoque *Mediolanenſis Præſul* comitatum auxit, idémque *Ticini Henricum* honorificè ſuſceptum, in *Diui Michaelis Æde*, in *regio Solio* collocauit, *Mediolani* deinde coronandum. Candidum hunc diem, veſpera, nocte ipsâ tetrior, excepit, *Harduini* aſſeclis tenebras offundentibus. Inclamant tempus eſſe aſſerendæ in libertatem *Italiæ*, poſſe momento fieri, quod plura ſecula non tulerint, ſi Rex cum paucis Prætorianis, reliquo milite ſuburbijs diſcluſo, opprimatur, regnúmque *Harduino* inſtauretur. Approbato per contubernia magno aſſenſu parricidij conſilio, cõcurſum ad arma, tela, ſaxa, incerto furore, niſi quòd clamor inconditus *caput* iactaret *Regis*. Quaſſatâ Palatij portâ, *Heribertus Colonienſis Antiſtes*, dum fortè ex editiore loco furentes alloquitur, concitatâ in ſe miſſilium procellâ ægrè ſe recipit. *Henricus*, *Prætorianis* ad tuendum diſtractis, vbi rem ſuam agi intelligit, paucis ſtipatoribus in medios ire hoſtes, Deo fretus, dum ardet, ab *Heriberto* retrahitur, inclamante, non eſſe nec fortitudini, nec fortunæ locum inter *furentes* & *ebrios*, nec perinde cadendum *Regi* & *gregario*, quando nox & furor non diſcerneret.

IV. Gliſcebat interim pro foribus pugna,

& affluentibus Regijs submotæ non nihil turbæ, sed vnius cæde, qui magnam noctem illustribus factis nobilitârat: *Giselbertus* hic erat, frater *Chunegundis Reginæ*, cuius vindicta ne cæca esset, Vrbs incensa flammam ministrauit. Quâ excitus in suburbanis miles, illico in Vrbem, discussis omnibus repagulis, irruere, & dispositis turmis, strage latè editâ, nulli spem, nisi in manu relinquere; quoad cælo iam albescente, nocturnâ flammâ defessâ, lucem dies suffecit. Tum copiæ, quæ longiùs ab vrbe statiua habebant, omnium hactenus ignaræ, accurêre, & redintegrata laniénâ, fœdâ vastitate in fugientes pariter, & congredi ausos animaduersum. Misero sanè spectaculo, abdentes se in ædibus, faces iniectæ aut conclusos cremabant, aut in publicum exactos ferro obijciebant; vt ambiguum esset, plures ignis an gladius vorârit, donec à *Rege clementi* miles cædibus temperare iussus, reliquum iræ in prædam fumantem effudit.

V. *Henricus* fœdo Vrbis excisæ aspectu motus, in *Diui Petri auream cellam*, Vrbi vicinam, migrauit. Secuti ciues modestiores, perfidiam & insaniam reliquorum magnâ detestatione deprecaturi, quasi hanc solùm ob causam excidio superstites, vt *Clementiam Regis* experirentur, quibus ignis pepercisset; proinde supplices & abiecti inter orandum ingerebant, longè iucundius fore monumentum gratiæ, quàm iræ, si es-

si essent qui *Ticinum*, non aliàs de Principibus male meritum, ex cineribus excitatum pristino splendori restituerent, quàm qui vestigia duntaxat obscura, post secula non sine lacrymis memorâssent, nec perinde victuram apud posteros indignationis commeritæ, & indebitæ clementiæ recordationem. Vix elocutos secuta est *indulgentia Regis*, magnam miseris esse pœnam, si resipuissent, perfidiæ pudorem benignè arbitrati. Eâ clementiâ victoris cæteræ quoque *Italiæ* ciuitates perdomitæ, magis quàm armis, vt gratiam occuparent certatim Legatos mittentes, *Sacramentum* ingenuè *dixêre*; quidni enim, si eam nullo labore exsculpserunt, quos alioquin nulla noxa satis expiâsset?

VI. Inde abijt *Mediolanum*, professus, se id amori & honori *Diui Ambrosij* dare, in cuius Æde, quæ tum extra muros erat, *coronam Imperij* suscepisse, de manu *Arnulphi Archiepiscopi*, amici sui, tradunt Scriptores illi ætati suppares; nec nemo coronatum ait *super totam Italiam, Saxoniam & Nordmanniam*. Quo fit vt *Ticini* sublimatus duntaxat, non etiam coronatus ab eodem *Arnulpho* sit; qui enim hac prærogatiuâ sedem suam fraudâsset? Æquum autem fuit eo loco sublimare *Henricum*, quo nuper efferentem se *Harduinum* authoritate suâ deiecisset. Neque sat argumenti habent qui aliud & aliud diadema *Ticini* & *Mediolani* tulisse *Henricum* volunt; quando duplici coronæ vsus, à *Conrado Hen-*

do Henrici Succeſſore primùm cœpit. Nempe ſecundùm *Henricum*, *Italiâ* in eligendo *Rege* fluctuante, *Heribertus Archiepiſcopus Arnulphi* Succeſſor, quibuſdam Principibus ad ſe attractis in *Germaniam* profectus, ſalutatum iam à *Germanis Conradum*, ipſe quoque honoris ſui prærogatiuâ *Regem Italiæ* ſalutauit; & venturo in *Italiam Sacramentum* aſſenſu omnium, præterquam *Ticinenſium*, promiſit. Venientem deinde, ſeu potius deductum, *Mediolani* in *Ambroſiana* ritè coronauit. Quo tamen non contentus *Conradus*, ob diſcordes quorundam ſententias, in *Villa Varantia*, & in oculis omnium ſecundò coronari voluit. Interroganti *Heriberto*, an id ſeriò vellet, cùm reſpondiſſet *Modo etiam*, eidem *Villæ*, vocabulum *Modoëtiæ*, manſiſſe narrant, longè diuersâ deriuatione ab ijs, qui *Moguntiam* dictam, ex antiquis marmorum monumentis affirmant. Hîc ergo iterum coronatus, *Mediolanum* rediјt, niſi perhibentibus credas, *Modoëtiam* primas tuliſſe. *Mediolanenſes* apud *Sigonium*, hanc in ludo, *palearem coronam* vocant, *Blondus* tamen prior tempore, moris eſſe ſcribit, Cæſari in *Germania* renunciato, antequam confirmandus *Romam* accedat, duplicem ex *Gregorij Quinti* inſtituto capiendam *coronam*, *ferream* & *palearem*, hanc *Modoëtiæ*, illam *Mediolani*. Sed nos ad *Henricum* redimus. Is *Ambroſij* gratiâ, monaſterium eidem, Sanctiſque *Geruaſio* & *Protaſio* Martyribus nuncupatum,

benefi-

beneficio suo vacuum non reliquit, nec solùm postea *Traiecti* à *Ioanne Abbate* requisitus, priuilegia eiusdem confirmauit, verùm etiam auxit. Sed hoc postea. Interim in *Italia* ferijs Pentecostes *Cremæ* actis, tumultuante *Germaniâ* reuocatur.

a. *Adelbold. de S. Henr.* b. *Ditmar. Baron. tom. XI. ad an. 1005.*

CAPVT XIV.

Henricus Iaromiro Bohemiam asserit; Hezelonem Godescalcho orante, reatu absoluit: Ecclesiarum in Germania reformationem vrget; Polonico & Flandrico bello defungitur.

I. VT primum *Germaniam* reuisit, (*a*) *Sueuiæ* Principe *Hermanno* defuncto, alium cognominem imponit. Mox Comitijs *Turegi* habitis securitati publicæ consulit, latrocinijs & grassatorum licentiâ refrænatâ. Deinde expeditionem in *Bohemiam* indicit, comitante *Iaromiro*, *Boleslai* cæci fratre, votis olim *Bohemorum* expetito. Hi cognito eius aduentu inclinati, vias & arces aperiunt, multo alioqui sanguine pandendas. Erectus victoriarum primitiis *Iaromirus Pragam* præuolat, popularium studio procul dubio *Boleslaum* oppressurus, nisi hic monitus tempestiuè se proripuisset. Ita eo

fuga-

fugato, *Henrici* auſpicijs *tota Bohemia*, victoriâ incruentâ in poteſtatem *Iaromiri* concedit.

II. Hîc *Natalitia Deiparæ* celebraturus *Henricus*, *Godeſchalcum Friſingenſem Antiſtitem*, vt ſacris operetur, & inter Miſſam pro more verba faciat, monet. Is munere functus, capto ex Virginis ortu, qui mundo vniuerſo gaudium attulit, illuſtri argumento, poſt decātatum Euangelium dicere aggreſſus, ita appoſitè detorſit orationem, vt iniecta *Hezelonis* mentione, quem omnis dictio reſpiciebat, *Regem* ad miſerationem demitteret, compunctum maximè, dum ſe per eum, qui in Euangelio debenti decem millia talentorum omnia dimiſit, interpellari audiret. Scilicet armata erat oratio, nec fortaſſe impar delicto rebellionis, ſed expugnandæ *Henrici* clementiæ nimia vis adhibita; mite ingenium paucioribus flecti aſſueuerat. Adhuc pendente verbo dicentis, aſſenſus, libertatem decreuit, neſcius an voce, vultu, geſtu, lacrymis denique magis compoſitus ad condonandum, quàm orator ad obteſtandum & mouendum, vt paulò pòſt, decantatâ ad Altare Oratione Dominicâ, indicibili quadam animi voluptate perfuſus concineret, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, nunquam ſe liberiore animo Deum obſtringere ſolitum faſſus, quam cùm gratiam fortunæ vitio corruptam, humilibus integraret.

III. *Pragâ* cum *Iaromiro* diſcedens, proximus

ximus periculo fuit, cùm in *Budissinæ Vrbis* oppugnatione, vibratum è mœnibus telum, in stipatore errauit, secuta deditio damnum pensauit. Appetentem hyemem non incuria transegit, sed indictis *Tremoniæ* Sacrorum Comitijs, quæ Dithmarus (*b*) *Magnam Synodum* vocat, multa suggessit emendationem merita, quô veteri sanctitati suus tenor & obseruatio redderetur. Hoc tam præclaro studio, *Baronij* (*c*) sententiâ, & Deum sibi propitiauit, & viam ad victorias, Romanúmque Imperium obtinendum aperuit; Perijsse tam celebris Acta Concilij, exordio duntaxat apud *Dithmarum*, velut tabellâ è naufragio extante, idem queritur. Est qui prodat (*d*) memorabile illud fœdus inter Principes vtriusque Ordinis hîc sancitum, de iustis funebribus ad fœderatorum manes expiandos, simul ac quispiam decessisset, vt sacris initiati diuinam hostiam litarent tricies; reliqui imperatam pro facultate summam erogarent; exemplo vtique ad posteros transmittendo, quod acceptum Deo fuisse non vno deinde argumento proditum est, bonis Genijs subinde sociorum mortem, ijs, qui longè abessent nunciantibus, & ad suffragia pietatis incitantibus.

IV. Post hæc *bello Polonico* daturus operam, ad *Bolera Oderæq;* confluentes pontem molitur, sed irritum conatum hoste irridente, sex legiones inobseruato vsque in eum diem vado, sub cre-

crepusculum transmittit. *Boleslaus* rem incredibilem suo flagitio expertus, risum in consternationem vertit, & nec tentatâ quidem pugnâ contra eos, qui calcatis fluctibus aquas sibi substernere didicissent, relictis sparsisque impedimentis recessit. *Henricus* tam luculentâ non minùs quàm opulentâ victoriâ vsurus, diem *Thebeæ legioni Sacrum*, in *Mesericensi Cœnobio*, solennem priùs traduxit, & triumphum Numini assignauit; tum exercitu in hosticum inducto, potestatem agendi ferendique fecit. *Posnaniâ* cùm duo millia passuum abesset, *Boleslao* pacem poscente, & *Taymone Magdeburgensi* conditiones præcipiente, libenter obtulit, tametsi ob inquies ingenium *Boleslai* modicum duraturam.

V. Hinc arma in *Flandriam* conuersa. (*e*) Causa motûs, quod mortuo *Otthone Lotharingiæ Duce*, viro stirpis *Caroli Magni* supremo, *Henricus Cæsar* præteritis defuncti sororibus, *Godefredo Duci Arduennæ* sui iuris prouinciam addiderat. *Francis* conceptam suis membris *Franciam* causatis, obtulit se *Balduinus*, *Flandriæ Comes*, sui magis quàm illorum gratiâ, habitóq; totâ *Flandriâ* delectu, contra *Godefredum* patruum duxit. Et huic quidem *Cæsar* suppetias venit, illi *Robertus Rex Franciæ*, *Richardúsque Dux Normandiæ*, solutáque *Valentianarum*, quas paulò antè *Flander* cœperat, obsidio. Anno tamen sequenti *Henricus*. *Neodigeri Leodiensium Antistitis* copijs auctus *Gandauum* adoritur, sed

spe

ſpe expugnandi pro tractâ, militem in agros dimittit, direptionémque, ſaluis locis ſacris, & prædam imperat. Hîc dum ſortè licentiâ abuſi quatuor gregari milites, *Diui Leuini* oratorium apud *Holtam*, reclamante *Adalberto* Sacerdote, expilant, repentè luminibus capti, vt ocyus abriperentur magnis vociferationibus, deteriora veriti vrgebant. Quâ re attonitus *Henricus*, ad aram Diui continuò ſupplex procumbit, iniuriam à ſuis illatam deprecatus, amplis donis ſacram Ædiculam honorat. Arcê tandem expugnatâ, quam olim *Ottho* Vrbi frænandæ excitauerat, Portúmque vocârat, *Aquas Grani* ſe recepit.

VI. Paulò pòſt adfuit & *Balduinus*, pactúsque liberationem ſuorum, *Valentianas* remittit, & imperata ſe facturum ſpondet. Delectatus indole *Cæſar*, vt erat etiam in hoſte virtutis æſtimator, beneficentiâ eum ſibi adiungit, & Vrbem iure fiduciario tuendam viciſſim reddit. Tam liberali *Henrici* iudicio deuictus *Balduinus*, damnato bello, certare officijs cœpit, ſuperaturus, niſi *Henricus* addito *Valachrinorum* cum inſulis *Zelandiæ* imperio, fidem munificentiâ & gratiâ æquâſſet. Quæ res quemadmodum formidabili bello tunc finem impoſuit; ita deinde ſeminarium fuit diſſenſionis longiſſimę, quæ *Flandros* & *Holandos* quadringentis prope annis per interualla exercuit. Ceterum *Balduinus* non donis magis, quàm religione auctus, quic-

quicquid belli tempeſtas Cœnobitis euertit, reſtituit, exemplum ſecutus *Henrici*, qui prætèrea *Leuini* offensâ eruditus, ne ſacræ eius reliquiæ ſimili in poſterum iniuriæ paterent, vt ad Gandauenſe Monaſterium tranferrentur, procurauit.

a. *Adelbold.* b. *Ditmar. lib. 6.* c. *Tom. XI. ad an. 1005.* d. *Alb. Cranz. l. 4. Metrop. c. 4. & 7.* e. *Iac. Maier in Chron. Fland.*

CAPVT XV.

Henricus Monaſterijs & Templis fundandis vel ornandis, aliiſq. pijs operibus ſtudet: Bambergam ciuitatem magnis difficultatibus ſuperatis, in Epiſcopatum conuertit.

I. NVnquam *Henricus* niſi Dei causâ bellum ſuſcepit, perinde atque in pace pius. Quoties tamen à bello vacare licuit, aut affecta pietatis opera perſecutus eſt, aut alia integrauit, indefeſſo Religionis amplificandæ ornandæque ſtudio ſeſe impendens. Ex his quædam, vbi à *Flandrico bello* nonnihil reſpirauit; plura poſtquam id confecit, integrè præſtitit. Inprimis *nobilem Parthenonem Neoburgi ad Danubium* vel erexit, vel lautis prædijs attributis auxit, excitatus ab *Anaſtaſio Hungarorum Epiſcopo*, ingentium prodigiorum, viro, & qui apud

apud *Henricum* omnia poterat. Tabulæ Monasterij *Hilarium* vocant, siue à cognomento, siue ab euentu, plura quippe horum nomina tulit. Alterum *Henricianæ pietatis* monumentum est *Nunbergensis Monasterij Virginum* instauratio, quod olim *Reginotrudis vxor Theodonis*, magnæ Dei Matri Virginíque dicârat, *Rupertus* verò *Boicæ Gentis Apostolus*, *Erentrudem* neptem an sororem suam eidem præfecerat. Id deinde incendio deformatum miseratus *Henricus*, & memoriâ Sacræ Virginalis pudicitiæ, illic olim cultæ stimulatus, pristino splendori & elegantię restituit. Sed enim ad domicilium virtuti sibi adamatæ vrgendum, vel sponte currenti calcar fuit, quod subijcimus. *Henricus* enim graui nuper conflictatus morbo, damnatâ medicorum operâ, perpauxillum ex cineribus *Diuæ Erentrudis* annulo conclusum, è collo suspendit, & voti compos, viciſſim aurea calcaria sospitæ suæ reliquit: deinde verò postquam Monasterium conflagrâsset, amisso in Thermis annulo, reduce malo rursum tentatus, rursúmque recursu ad idem asylum facto, momento leuatus; tantæ pretium medicinæ magnificentiſſimâ instauratione exsoluit.

II. Post hæc, ne quid in omni genere pietas desideraret, *Gysela* matris funus duxit, iustis religione perquàm celebri solutis. Neque his contentus, æternum monumentum quod animo dudum complexus fuerat, optimis parenti-

bus, sibi deinde, Virginíque coniugi, denique *Otthoni* cuius Regnum exceperat, statuere orsus est: hîc demum angustâ capedine conditurus magnum nomen, vbi laxatum è corporis ergastulo spiritum ad Creatorem transmisisset. Sed non satis videbatur *Otthonis* memoriæ fauisse, nisi apud eum, *per quem Reges regnant*, maiorem sibi gratiam apposuisset: Hinc, quia prolis curā ipse sibi abstulerat, materiam meriti quæsiturus, Deum heredem doni, quod ab *Otthone* acceperat, Ciuitatis nimirum *Bambergensis*, instituit; factum id assensu coniugis, cui dotalis erat; Et ne mera ciuitas esset, eam Sede Pontificiâ ornare cogitauit.

III. Id propter coactis *Francofurdi Præsulum Comitijs*, *Henricum Herbipolensem* aduersarium sensit; Hic enimuerò misso sacerdote qui cum potestate ageret, eâ nouæ Sedis molitione fraudem sibi, posterísque strui causatus est, quando non nisi cum iactura veteris, attenuato censu, quiret consistere. (*a*) Præuiderat *Henricus* argumenti robur; eóque enixiùs agens, non erubuit supplicum more toties in genua se demittere, quoties anxiam iudicum sententiam coniecisset, frustra toties alternante *VVillegiso Moguntino*, *Synodi Præside*, vt procumbentem erigeret, ceteris ob non inuisam solùm, sed etiam inauditam modestiam perculsis. Aiebat verò inexpiabilem Numini fieri iniuriam, si impos voti, spe posteritatis depositâ, vetaretur

è cælo

è cælo hæredem adſciſcere, ídque pertinaciâ vnius hominis, qui diſceptandi causâ in rem præſentem non veniſſet, aut malè ſibi conſcius, aut apertè iniquus, & facilè alioqui ſuffragium venditurus, ſi *Archiepiſcopo* eſſe liceret, vt nouitium *Epiſcopum Regis* nomine creatum, à ſe iura petere cogeret. Contrà, Legato *Henrici VVirzeburgenſis* conſtanter ex tabulis apertis intercedente, cùm animi Præſulum nutarent, *Henricus Rex*, interpoſitâ & coniugis & fratris obteſtatione, ſuíque humi demiſſione, non deſtitit arietare, promittens penſaturum ſe magno agri modo, quicquid ditioni *VVirzeburgenſis Eccleſiæ* decerptum fuiſſet.

IV. Tum à *VVillegiſo* ſententiam rogatus *Taymo Magdeburgicus*, pro *Rege* pronunciauit. Prærogatiuæ authoritatem reliqui ſecuti ſubſcripſerunt. Tabulas ſuper ea re confectas *Ioannes Decimus Octauus Romanus Pontifex*, non ſolùm ratas habuit, ſed *Epiſcopatum* ampliſſimis priuilegijs ornatum, omni alieno, præterquam *Romani Pontificis* iure exemit. Literæ *Ioannis* Indictione Quintâ, hoc eſt, anno huius ſeculi ſeptimo datæ, celebrato iterum *Francofurdenſi Concilio* lectæ, *triginta ſex Epiſcoporum* manu ſignatæ ſunt, quos inter & *Anaſtaſius* ille *Hungarorum Epiſcopus* ſæpè memoratus, honoris æſtimatione præſens, numerum impleuit. Magnam ea de cauſâ tum apud *Romanum Pontificem*, tum apud *Regem* gratiam inijt *Henricus VVirzeburgicus*,

gicus, tanto Reipublicæ bono commutatâ iuris sui portione, morem gerens; ob id etiam à *Ioanne Patriarcha Aquileiensi* & huius *Episcopi*, non sine insigni *Henrici Regis* commendatione, literis datis laudatus. Quibus inter alia, *Deo*, inquit *Omnipotenti immensas gratias agimus, ad cuius inæstimabilem gloriam spectat, quod per Regem nostrũ Henricum, bonum & fidelem ministrum suum, fundatissimam pacem omnibus Ecclesijs præstat, & insuper nouam format Ecclesiam, per quam & de inimicis humani generis in vicinas Slauorum gentes, Deo opitulante triumphabit, & innumerabilem familiam per lauacrum regenerationis sibi multiplicabit.* Hæc *Patriarcha*, si ab euentu iudicari licet, vaticinatus.

V. *Henricus* porro nouæ Basilicæ Pontificiæ, *Principes Apostolorum*, & *Georgium Martyrem* tutelares optauit. *Ioannis Pontificis* literæ, Beati duntaxat *Petri* meminere. *Henricus Rex* in suis Tabulis: *Ad honorem*, inquit, *Omnipotentis Dei, & B. Mariæ semper Virginis, & Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, nec non SS. Kiliani & Georgij fundauimus, stabiliuimus, & corroborauimus, vt inibi Nostri, Parentúmque nostrorum, & Otthonis Tertij Imperatoris videlicet Antecessoris nostri, celebre habeatur memoriale, & iugis, pro omnibus Orthodoxis mactetur hostia salutaris.* Ita *Henricus.*

VI. Procurationem eius *Eberhardo* suo Cancellario permisit, quem eodem die *VVillegisus*

gisus primum *Bamberga Episcopum* solenniter inaugurauit. Monasteria duo adiecit, *Archangelo* alterum, religione *Gargani Montis* auspicatus, alterum *Stephani Regis* cognati voto, *Protomartyri Sacrum.* In quorum molitione, atros etiam Genios à *Chunegunde* in latomiā damnatos, saxis eruendis & excolendis opus fecisse, in huius gestis dicturi sumus. Addidit præterea id ornamenti, quod instar prærogatiuæ cuiusdam *Augustalis* habitum est, vt summi Imperij Proceres, quæ Cæsari adorando honoraria impendunt obsequia, ijsdem, *Bambergensem Præsulem* per Vicarios in perpetuum prosequerentur. Quod Priuilegium posteritas admirata *Filum sericum Diuæ Chunegundis* appellauit. In eo *Stephanum* cognatum, qui Regium honorem *Archiepiscopis Strigoniensibus* haberi voluit imitatus, etiam superauit.

a. *Ditmar. lib. 6.*


S.CHVNEGVNDIS IMPERATRIX.

CAPVT XVI.

Henricus Chunigunden Reginam adulterij insimulans, Innocentiæ miraculo corrigitur.

I. IN tanto pietatis successu, pietas ipsa aliquando tentata est, non vsquequaq; deuicta. (a) Inuidebat Satan, nescias an lapidea potius Templa fundata, quàm pectora coniugum casta. His certè impugnatis, in illa quoq; bellabat, & cùm euertere non posset suis machinis arietando, ingessit, vnde discordia sanctum amorem labefactaret. Enimuerò dum *Henricus* tacitè secum retractat, & admiratur *Chunegundis* pietatem, & in condendis domicilijs religiosis plùs quàm par certamen, incitamentum virtutis Cacodæmon hac arte in stimulum vertit amaræ suspicionis. Scilicet *Henrice quæ te femina socia thori, vrget in sanctitatem, illa suam simulat, tuam verò fidem improbè ludit, cum milite hactenus consuescens.* Argumentum *Henrico* vehemens erat, ignoti iuxta improbíque oris hominem, *Reginæ thalamo* dubiâ etiamnum luce repentem, triduo continuo obseruâsse. Idem qui suggesserat malus genius, hanc sub larua militis adornâsse histrioniam, liquidò deprehensum est.

II. *Henricus*, velut manifesti sceleris compertam, violatæ fidei inclementer postulat, &

explicatâ primùm grauitate criminis, quantæque foret prauitatis simulatâ castitate, perinde ac homines, Deum quoque velle fallere, cuius oculis Sole clarioribus omnia patent, nec quicquam sceleris intimo quouis humani cordis recessu tegi posse, quod non apertum cernat. Subdit deinde, neque sibi adeò perstrictam fuisse aciem, quin tergiuersatione procul crimen deprehendisset, accusator proinde, testis & iudex in tristissima certè causa futurus.

III. Audijt *Chunegundis* rei nouitate attonita, pendénsque animi, loqui an silere satius esset, vndecunq; flagitium metuenti, ne tacendo, fateri, verba edendo, frustra disceptare videretur apud eum, qui suis oculis stare mallet: iussa nihilominus eloqui, & suo velut ore se damnare, dùm castissima Virgo, pudico & modesto vultu, constanter pernegat, Deo & conscientiâ teste freta; *Henricus* excusantium morem interpretatus, eóque pertinacior, aduersùm se argumenta non admisit: quoad *Chunegundis* ad *ignes prouocaret*, solennem eâ tempestate morum censuram, miniméque fallacem creditam, & quam nemo sine religione excepisset.

IV. Annuit *Henricus*, vltricésque vt putabat flammæ *candentibus vomeribus* expeditæ. Illa coniectis in cœlum luminibus, inuocato fidenter Innocentiæ vindice, *modestè læta*, *nudis pedibus non modò graditur iterum atq; iterum*,

regre-

regreditúrque illæsa calcato igne, verùm etiam *manibus contrectat flammans ferrum, vsq; adeò innoxium, vt Virgini, cuius pectus illicitâ face nunquam arsisset, adulari flamma videretur.* Obstupuit *Henricus*, & damnatâ suâ facilitate, quam malus genius fefellisset, *castissimam coniugem* tam luculento ignis iudicio diuinitùs absolutam, non modò in posterum multò *coluit amantiùs*, verùm etiam Deo probatam & dilectam *reueritus est sanctiùs*.

V. Qui *Henricum* crudelitatis damnant, quasi non annuerit discrimen optanti *Chunegundæ*, vnde innocentia periclitata se efferret, sed inuitam coëgerit ad triste supplicium; de diuino erga sanctos permissu non altè videntur sentire; nec discernere quo consilio Deus faciat *cum tentatione prouentum*; alioqui in duri specie facti ad gloriam maiorem, non errâsse clementiam, sed æquitatem discreuisse dicturi. Ceterùm sicut ad tantum miraculum obstupuit, & emollitus resipuit *Henricus*, ita in saxum obriguêre *Magdeburgenses Centuriatores*, ex paganorum disciplina sapientes, vt *Chunegunden* non *virtute ex alto*, sed veneficijs & magicâ imbutam, ignis vim hebetâsse perhiberent; planè idem præiudicium de *vipera*, à *Paulo Apostolo in ignem excussa*, facturi, ne non infra barbaros sapere viderentur. Sed hæc est indoles hæresis. Nos ad historiam reuertamur.

VI. *Henricus* sanctæ coniugis obseruantior,

tior, incautam suspicionem deprecari non cessauit, nulli se noxæ eximens, nisi expiásset, nec leniri dolorem animi temporis longinquitate passus. Quin tristissimæ rei memoriam sæpius in die refricando; velut frænum lætioribus adhibere; idque maximè clam *Chunegunde* factitare; quando illa mœstum suâ causâ non ferens amantissimum coniugem, non blandis modò solabatur verbis; sed iniectâ religione monebat, *caueret ne importunâ deiectione animi, occulta Dei iudicia videretur improbare. Non esse præter diuinum institutum, permittere interdum, vt electi humilientur, & diuina gloria magis exsplendeat; præstandam homini duntaxat culpam, cetera mitiùs ferenda*; hoc *permissu nihil coronæ aut famæ demptum, quin potiùs argumentum irrefragabile existere, & probatæ Deo in coniugio virginalis pudicitiæ, & constanti inter sponsos fide longè sanctioris amoris; confuso dissensionis authore diabolo.* His & id genus opportunis remedijs cari coniugis dolorem *Chunegunda* leniebat, pulsóque mœstitiæ nubilo, animum ad serenam hilaritatem erigebat. Vt properanter non nemo illustrium Religiosorum Nomenclator enunciârit, implacabili post id factum animo dissensisse *Chunegundam* ab *Henrico*, ac tandem diuortio procurato, viuente ipso, Monasterio se conclusisse. Rectiùs dixisset è diuerso, non alia magis de causa, incessisse non semel *Henrico Regni* cum *Monachatu* commutationem, quàm ve

hanc

hanc offensam dignè expiaret, si à *Chunegunde* impetrare licuisset. Quicquid rei id fuerit, cogitâsse interdum, cōtinuò narrabimus. Interim ne memoria tanti vnquam facti posteritatem fugeret, locus triumphantis *Chunigundæ* castitatis, Ædę sacrâ circumscriptus est, seruatíque *vomeres innoxÿ*, testes an trophæa innocentiæ.

a. *Apograph. apud Gretſ. c. 21. Rader. in vita. Annal. Boic. l. 8. author vitæ Chuneg. ap. Sur. 3. Mart.*

CAPVT XVII.

Henricus, dum Guntherum Eremitam in sua vocatione confirmat, ipse quoq; ad meliora anhelans æstuare incipit.

I. HEnricus à miraculo *Sanctæ Coniugis* alium hominem indutus, mente in cælestibus errabat, & commodùm nactus ab erigendo *Gunthero* argumentum, sibi quoque meliora præcipere ardebat. Hic *Guntherus* inter *Thuringos* summo loco natus, calcatis generoso contemptu fortunæ bonis, ex milite profano ad sacram Christi militiam aspirârat; proinde tyrocinio in *Altahenſi Monasterio* posito, in vastum se nemus condidit, Patrum Ægypti sanctitatem orbi repræsentaturus. Autor illi tanti incepti *Godhardus Altahenſis Abbas* fuit, maiores etiam cogitationes iniecturus, si secum in *Bauariam Guntherũ* aliquando abduxisset, ne Patriæ illecebris

bris generosi spiritus relanguescerent. *Româ* deinde quam ex voto salutârat reuersum, Deo auctorauit, intérque ipsa rudimenta fluctuantem animo, rursum erexit, & quæ semita, in ardua virtutum aggressione, citra anfractus tenenda esset, commonstrauit.

II. Verùm vt sunt magnorum ingenia, quæ persæpe non rationibus æternorum magis, quàm humano quodam respectu reguntur, ne humilis hortatoris auctoritatem eleuaret *Guntherus*, ab *Henrico Rege* impetrauit Abbas *Godhardus*, vt post exempla pulcherrima *Orbi* præbita, *Regio* verè munere, militi quoque præcepta daret sanctitatis. Paruit *Henricus*, eásque faces *Gunthero* admouit, quibus vel erubesceret ad nomen inconstantiæ, vel inflammaretur ad sanctioris propositi contumaciam: obiectis etiã Magnorum argumentis, qui in *Purpura nati & educati, Deo inspirante arreptum semel institutum, ad extremum spiritum tenuerunt*; longè capitalius esse ducentes deserere *castra Dei*, quàm *Regis*, cuius tamen deserti noxas *perpetua* comitatur *infamia*; Vt iam non *pudori* solùm, sed etiam *ignominiæ* futurum sit *cucullato*, si *delicatior esse Regibus velit*, & de virtute desperare, quam ipsi in *Purpura* essent assecuti.

III. Conualuit *Guntherus*, indolémque consciscens, nunquam deinde per omnem vitã intepuit, & quasi non à *Rege*, sed à *Deo* obiurgatus, maiora in dies sanctitatis exempla præbuit.

Quin

Quin pluribus ad ſuorum ſtudiorũ æmulationem attractis, transdanubianam mox regionem illuſtrare cœpit, peculiari hîc Cœnobio condito, quod deinde *Henricus*, viri à ſe excitati pietate delectatus, largè dotauit, & amplis finibus circumſcripſit; nec ceſſauit *Guntherum* admirari iuxta & omnibus commendare. Quæ fama *Stephanum* quoque *Regem* impulit, vt non ſemel eum in *Hungariam*, interpoſitâ *Henrici* cognati *Regis* authoritate, euocaret, factúſque deſiderati compos, intimâ viri ſancti neceſſitudine religiosè vteretur; quod pluribus alibi deſcribimus. *(a)*

IV. Ceterùm quæ de *Vocatione* prolixè apud *Guntherum* diſſeruerat; ipſe poſtea ſecum retractans *Henricus*, & altè in animum demittens: *Quin tutè*, ait, *Henrice, quæ alijs ſuaſiſti ipſe facis? ſi optimè, cur te fraudas? ſin malè, cur alios decipis? At nihil meliùs, quàm contemptis caducis, ad æterna aſpirare. Quid verò magis fluxum, caducúmue* Regno terreno, *quod cum difficultate obtentum, cum periculo poſſidetur, fine certo, ſalutis exitu incerto. Et reſtat Imperium adipiſcendum; quid tum? Dulce nomen, ſed durum officium: Quid eſt* Imperator *niſi* ſeruus publicus, *cui ſi quid eſt peritura gloriæ, quietis nihil:* Sceptrum *&* Diadema *quid; niſi* fulgidi compedes, claráque miſeria? *quæ ſi omnibus nota eſſet, non toties vno de ſolio plures tantorum interitu decertarent, eſsēntque* plura Regna, quàm Reges. *Scio equidem mortalis* Regni

gni *felicitatem esse*, bonum Regem: *at me in dubio labor manet, & graue negotium: rarò tam* bonus quisque Princeps fuit; vt non melior populo Successor foret. *Vulgi vota sunt* odisse præsentia, *ventura* cupere, prætérita celebrare; *quando ergo vacauerint querelæ; si omne præsens bonum sordet, nihilque omnium placet; nisi quod cruciat, seu perditum seu speratum? magna; in Imperio seruare difficile: quid collapsa erigere, sparsa colligere, recuperare perdita, deformia reformare? Si successerit, ego fortasse laudem, reliqua successor metet; illi seuerim, mihi sera est messis, & multas poscit æstates, & interim labitur tempus æternis laborandi. Perueni ad Regnum, conscendam & Imperium: nemo certè in montem excelsum ascendit; vt ventorum turbines & fulmina euadat. Quid gaudij in fastigio Imperij? ascenditur & in equuleum, & in crucem: nonnullis opprobrium, multis supplicium, omnibus labor est scandere. Contrà verò & in lectulum; & in sedile descenditur; & sæpius in imo habetur quies. Vt quid ergo deciperis HENRICE? si hoc calle voluptatem petis, falleris, & totâ erras viâ: voluptas à tergo est; hâc ad laborem itur; & ad gloriam momentaneam, periculíque & inuidiæ plenam. Næ ego stultius sim Nauta, si relicto portu in altum vela faciam, tranquillitatem quærens: Quin linquo Imperium in alto suis fluctibus iactatum, capessat qui volet, ego ad salutis portum conuolo, cum Dei seruis, qui calcato sæculo in Monasterijs abditi æterna respiciunt, Diadema præstantius affectaturus.*

V. His & id genus pijs cogitationibus æstuans *Henricus*, omninò positâ *Purpurâ*, *Cucullum* induere statuit; multáque cum *Anastasio Strigoniensi* de *Regno Dei* collocutus, eidē etiam animū aperuit, sed *votis* aduersantem sensit. Negabat ille futuram hanc mutationem nisi inuito Numine, magno Reipublicæ malo; quin religione iniectâ, monebat diuinæ Vocationis à *VVolfgango* significatæ, ac tandē euentu feliciter explicatæ: in qua nisi permansisset, in Dei prouidentiam iniurius foret; plus eum *Orbi Christiano* profuturum, *Purpuratum*, quàm *Cucullatum*. Qui vocâsset ad *Imperium*, eundem nō *sibi*, sed *patriæ*, sed *Ecclesiæ*, & toti *Orbi* natum, ne quid de salute in suo statu periclitaretur, prouidè facturum.

VI. Suspendebant ista animum *Henrici*, vt tamen deponeret, nunquam, etiam post assumptū *Imperium* effecêre: mouebántque magis, quæ olim à *Romualdo Otthoni Imperatori* dicta meminisset; nec dubium, quin huius institutum adhuc viuentis secuturus fuerit, nisi modū viuendi claustralem *Diui Benedicti* adamâsset: in hunc à pueritia propensus, & multò magis, postquam eum corripientem, in visu agnouisset, multò verò maximè, cùm iam Imperator ab eodem in *Monte Cassino* morbo calculi cruciantis, quod postea memorabimus, liberatus est. Cuius quidem loci amore captus, tantâ in eum deuotione ferebatur, vt *si vixisset* (b) inquit Leo Ostiensis *aliquantò diutiùs, relicto Imperij culmine Deo se*

in sanctæ conuersationis habitu, hoc in loco viuere promitteret. Verùm hoc seriùs, & cùm vltimùm *Fratres* aduisisset; antea enim cum *Odilone Cluniacensi* tum *Romæ*, tum in *Burgundia* contulerat, tum denique apud *Richardum S. Vitoni Abbatem*, egregio libello causas mutandi statûs complexus, perorauerat; sed quo minùs voto potiretur, ingenioso ab eodem inuento, quod in loco dicturi sumus, abstentus est. Sed iam ex *Schola pietatis*, & *Claustri meditatione HENRICVM* auocatum, rursum ad *Militiam* comitabimur.

a. *In Annal. Eccles. Hungar.*

CAPVT XVIII.

Henricus variorum armis exercitus, à pietate non vacat, paci studet; Basileense Templum fundat: Ecclesiam Bambergensem dedicat.

I. B*Oleslai Poloni* recrudescentem perfidiam, cùm pleriq; Proceres apud *Henricum* caussarentur, digna res visa est, quæ bello decerneretur, sed *Treuirenses* motus distinebant. Nam cum *Adalberoni*, (*Chunegundis Reginæ frater erat*) Pontificatum eius Vrbis iniuriâ occupanti, *Megingaudus* ex virtutis ratione suffectus esset, ille offensus, *Henricum Regem*, non affinem, sed hostem vbique indignis verbis conclama-

clamauit. Tracti in partes reliqui fratres, *Theodoricus*, qui *Metenses Infulas* vi vsurbabat. *Henricus Bauariæ Dux*, *Fridericus Comes*, ceterique sanguine iuncti. Inuidia inde ducta, quòd *Henricus Rex* totius Regni Episcopatus in manu haberet, & nuper etiam *Bambergam* sorori doti dictam auertisset, & quemuis è plebe potius, & togatis tabernarijs, quàm affines suos Infulis censeret cohonestandos.

II. Primus *Henricus Dux* rebellionem Principatûs iacturâ luit, *Rege Henrico* subditos Comitijs *Ratisponensibus* fidem eiurare iubente, religione exemptâ. *Metas* ergo, cum *Theodorico* fratre fugiens, regionem omnem tumultibus miscuit, Regias partes sequentibus maximè grauis. Ea de causa *Rex* milite ad signa conuocato, qui ferè ex *Slauis* constabat, victoriam quidem retulit, sed *Slauorum* immanitate, Vrbi tantùm non excidium, agro certè fœda vastitas illata est. Quam ipse deinde non religiosè solum, sed liberaliter etiam expiauit. Iusto licet bello, nec quæsitâ causâ, sed violenter obtrusâ, damnum præstandum ratus; procul eorum instituto, qui quantumuis dolo accersitis occasionibus, nullâ religione tanguntur, & præter intentum habent, quicquid mali reciprocâ necessitate consequitur, id bello cognatum reputantes, vel si cælum & omnia sacra ruant. Victoria porro eâ moderatione est vsus, vt iure secum agi *Moguntiæ* vellet non armis; verum hostes

ſicut priùs armis, ſic poſtea causâ excidentes, irarum pleni conuentu ſe præripuêre, itinera quaquauerſùm infeſtantes; mox ad officium reducendi.

III. *Henricus* interim tantiſper feriatus, paci in Comitijs ſancitæ ſtetit; priuſquàm verò longius à *Rheno* abiret, *Baſileam* interuiſens, ſummi Templi fundamenta iecit, quod deinde Regiâ magnificentiâ eductum, ac tandem conſtructum, non niſi octauo pòſt anno, *Henrico* iam & *Chunegunde* Auguſtis præſentibus, dedicatum eſt. Exinde in *Saxoniam* digreſſus, quò *Boleslaum* fidentiùs perſequeretur, Procerum factiones litéſque omnes, vel iure diremit, vel æquitate & clementiâ temperauit. Mox delectus habiti magnâ pertinaciâ, ſed ob inualetudinem *Regis*, bello demandato, à Legatis præter populationes memorabile nihil geſtum, *Boleſlao* in munimentis ſe continente, nullo vt vel damno vel contumeliâ ad pugnam elici poſſet. Tandem anno pòſt vertente ſiue aſtu, ſiue maioris mali metu, pax ſancita in quinquennium: niſi moram fluxa cum ingenio inſtabili fides *Boleslai* abrumpat.

IV. Pacis initia ſanctior illico ſecuta eſt cura. Nam qui pridem in votis erat *Henrico* dies, vt idem Templo Regíque natalis eſſet, aureâ tandem luce ſerenus affulſit; *dies* nempe *ſextus Maij*, idémque *Ioannis Apoſtoli ante Portam Latinam* vendicato Martyrio ſacer. Trigeſimum

quin-

quintum Regi fluxiſſe *Ditmarus* putat, alij quinquennium conſtantiùs addunt: nobis hîc ſatis dedicationem *feria tertia* conueniſſe. Primæ inaugurationis partes honoris causâ *Ioanni Patriarchæ Aquileienſi* datæ: Epiſcopi Ciſalpini Regiæ pietati gratificati, magno numero adfuêre. Ac vt ſolennitas ſacratior eſſet, *nono ritu nouus Salomon Henricus, Victimas Pacificas* obtulit, iniuriam condonans *Theodorico Metenſi*, quâ ipſi apud *Summum Pontificem* inuidiam conflare, iniquâ criminatione ſtuduerat, neq; ſolùm, ſed inſolentem gratiæ, cùm in ius vocatus fuiſſet, cognitâ in Sacris Comitijs causâ, tantiſper duntaxat coërcitum voluit, quoad *Sacro Ordini* ſatisfeciſſet.

V. Sed iam è *Templo Domini* ad *bellum Domini Henricum Regem* comitabimur, ad quod inuitatus etiam *Boleslaus Polonus*, *Summum Pontificem* fefellit, & implicatus *Harduini* in *Italia* partibus, ne *Henricus* quoque proficiſceretur, motis in *Germania* tumultibus, impediuit, vafrè interim cauſatus, ſe, quò minùs *Pontifici* morem gereret, ab *Henrico* retardari, cuius etiam inſidijs ceſſerit, ne pecuniam *Beato Petro* vectigalem in tempore repræſentaret. Quæ tamen criminatio, quemadmodum accuſatorem notæ obiecit, ita *Henricum* ſui mores abſoluêre.

CAPVT XIX.

Benedictus Pontifex in Germaniam profectus, Henricum contra seditiosos inuitat, venientem Globo aureo nouo ritu donat. Eius in recipiendis Augustalibus modestia, & sedato Schismate, res in vrbe gestæ.

I. Schismate in *Vrbe* excitato, *Gregorius* quidam obscuri nominis, sed ingenio vafer, & *Romanorum* potentiâ pollens, *Benedictum Octauum*, ex *Tusculanis Comitibus* legitimum *Pontificem* exegerat. Hic ad *Henricum Regem* veniens, *Poledæ* seu *Palithi* in *Saxonia* prope *Merseburgum*, ipso die *Natalis Dominici* dignè exceptus est, & expilicatâ aduentûs inopini causâ, grauiter in *Gregorium Sedis Apostolicæ inuasorem* perorauit, crimina singillatim retractans, ac tandem *Regis* fidei suam, Ecclesiæque iactatæ causam commendans. Motus & autoritate, & calamitate *Pontificis Henricus*, bono animo esse iussit, primo quoque tempore se in *Italia* futurum recipiens, & ne quid *Ecclesia Romana* detrimenti caperet, more prisco facturum. Paucos dies moratus *Benedictus*, & *Crucem potestatis insigne* apud *Henricum* reliquens, quam ipse liberandæ fidei pignus in *Vrbem* relaturus erat, securus voti præiuit, abeuntémque *Rex* cum Proceribus magnificè prosecutus est.

Ea

II. Ea de causa percommodè accidit *Henrico Boleslai à Russis* vexatio. Quibus ipse bellum moturus, ne *Henrici* potentiam haberet aduersam, è re sua duxit, *Sacramentum fœderis* eidem dicere, nec dedignatus est Clientis nomine sumpto, prodeunte *Rege* pompam obsequio armigeri augustiorem reddere; post Russos victos, ad ingenium rediturus.

III. Rebus in *Germania* constitutis, *Henricus* sub finem anni Millesimi decimi tertij, *Reginâ* comitante *Italiam* ingressus, nequicquam irrito conatu *Harduini*, tuta omnia offendit. Quin iste spe suâ iam fractâ diffidens, missis ad *Henricum* Legatis, sanctè affirmauit, cessurum se *Regni* vsurpati potestate, si vicissim beneficio *Regis* vel angusti *Comitatus titulum* liceret auferre. Sed violata sæpe fides, & prouidentia meliorum, clementiæ intercesserę.

IV. *Romam* appetenti *Regi Benedictus Pontifex*, frequenti Sacrorum Ordinum, & *Vrbis* Procerum agmine, aduersùm iuit; *(a)* duplici honore prætento, & Decreti de coronando Augusto, & insignium Imperij recèns confectorum: *Pila erat aurea, gemmeis zonis quadrifariam discriminata, ex quarum medio segmento Crux item aurea emergebat*: nihil in ea vacuum mysterio; *Pila* Orbis Imperium, *Crux* religionem, *Gemmæ* virtutes, *Aurũ* spem seculi aurei, & mera omnia sine fuco significabant. Hanc totâ *Vrbe* spectante *Benedictus Henrico* dono obtulit,

 tulit,

tulit. Quod is blandè susceptum, non oculis magis quàm mente curiosè lustrans, dantis authoritatem hilari animo reueritus est, donum tamen non affectauit; tantâ ambitione se efferri nequaquam dignus ratus. Exemplum ad posteros transmissurus erat, nisi postea *Conradus* Successor, ius & Maiestatem Imperij asserturus, id genus insigne resumpsisset. Vnde factum, vt Scriptores eius vsum *Conrado* huic, ceu primo inuentori tribuant, haud memores *Benedictum Pontificem* authorem fuisse, quemadmodum nuper *Siluestrum Secundum Stephano Hungariæ Regi Crucis Apostolicæ* donatorem.

V. Præeuntem deinde *Pontificem*, vt ad *Basilicam Vaticanam* (*b*) moraretur, lentiori gradu secutus est; inter eundum à duodecim Senatoribus, virgam manu præferentibus, vnà cum *Regina* spectabilis formæ, paulatim deductus est. Horum seni barbâ promissâ, seni rasâ, seruitutem Tyrannorum libertate commutandam innuebant. (*c*) Alibi meminimus eo numero Apostolos, & fundatam in eorum doctrina Ecclesiam; in reliquo habitu *Itala* cum *Germana* gente consensionem, & regni cum regno coaliti iura, vnius Ecclesiæ & Imperij Symbolo repræsentata. Antequam limen *Basilicæ* contingeret, pro *fide Ecclesiæ*, *Romanique Pontificis* autoritate *tuenda, Sacramentum dixit*, & continuò cum *Chunegunde Regina* ritè inunctus, more Maiorum *Augustalia insignia* suscepit, die vige-

sima

ſimâ quartâ Februarij, *Matthiæ Apoſtolo* ſacrâ, quam *Ditmarus*, dicturus feriam quartam, in Dominicam incidiſſe affirmat.

VI. *Coronam* à *Pontifice* impoſitam, *Henricus* ſecum detulit, alteram quâ pridem in *Germania Rex* ſalutatus eſt, *Apoſtolorum Principis* honori, ad eius Aram ſuſpendit; eo facto profeſſus *honores remittendos honoranti. Pilam auream Abbati Cluniacenſi Odiloni*, vt infra dicemus, niſi etiam *Diadema Auguſtale* recèns acceptum, donauit. Peractâ inauguratione *ſchiſma* euanuit, *Gregorio* inter tot Principes Imperatori manum dantes, ſponte ad ordinem redeunte.

VII. His præludijs, inſignis deinde pietas ipſa Imperij primordia conſecrauit, dum *Eccleſiæ Romanæ* Patrimonia à *Pipino* primùm *Rege*, tum à *Carolo Magno*, & ſecundùm hunc ab *Otthonibus* præceſſoribus ſuis quondam collata, non confirmauit modò, verùm etiam gratiæ à *Benedicto Pontifice* ſibi additæ, & religionis in *Principem Apoſtolorum* memor, pluribus adiunctis auxit, & diplomate confecto ornauit. Quæ, ſi quis hodie magnam partem tot *Regnis* & *Prouincijs* defecta, atque diſtracta conſideres, præſentem *Romanæ Eccleſiæ* fortunam & ſpem, curámque amplificandæ fractam, minùs inuidiosè ſugillabit.

VIII. Eodem diplomate *Bambergenſem Eccleſiam* commendans, vt annuum cenſum, hoc eſt, *equum album phaleratum Principi Apoſtolorum*,

lorum,

lorum, eiúsque Succeſſoribus penderet, religiosè ſanxit; auctam eam penſionem, imò à principio, centum additis pondo argenti conſtitutam, ſcribit *Leo Oſtienſis*, (*d*) remiſſam tamen, poſtquam *Leo Nonus* permutatione *Bambergæ* cum *Beneuento* factâ, *ſolo Equo*, iuris habendi gratiâ retento, *Romanæ Eccleſiæ* conſuluit; ſimilíque transactione plura finiuit: Nam quia donationis iure antiquo, *Principis Apoſtolorum* ditionem plura in *Germania* loca reſpiciebant, ſatius viſum fuit, rationes propè exigere, quã magno impendio in longinquo cernere. Proinde conuenit poſtea *Leoni Nono*, cum *Henrico* filio *Conradi*, vt quæ in *Italia* iuris *Cæſarei* eſſent permutationi idonea, vicem cederent eorum, quæ in *Germania Romano Pontifici* ſeruiebant.

IX. Senſêre cùm in *Vrbe*, tum extra, plures beneficium *Henrici*, ſed *Monachi* inprimis *Caſſinenſes*, eorum Priuilegijs confirmatis, ac ſigillo *Monaſterij*, prouincijs vniuerſis, nominatim vero *Thermulenſi Comitatu* vendicato: quorum gratiam non in longum diem repoſuit *Benedictus Patriarcha*, *Henrico* languenti, vt infra dicemus, opem ferens.

X. Habuit porro inauguratio *Henrici* in *Vrbe* vices ſuas; octauo pòſt die, inter *Italos Germanóſque* coortæ rixæ, multis vtrinque cadentibus, modum nox ſtatuit, *Romani Proceres* culpam deriuantes, apud *Imperatorem* auctores tumultûs *Germanos* detulerunt, nocentiſſimos

verò,

verò, vt qui Sacram *Vrbis* lætitiam, quâ recèns coronato *Augusto* plausus edebantur, infestare ausi essent; *Hugo, Hezelo*, & *Zelinus* capita erant, quos custodiæ traditos in *Germaniam* deportari iussit, *Maiestatis* arcessendos.

XI. Dum in *Vrbe* esset, nullo non die ante omnia Templis ac religioni, solenni cultu vacabat. Ac tum euenit, quod *Berno Augiensis* tradit, interrogatos ab *Imperatore* quosdam Principes Clericos, cur in Missa *Symbolum Apostolorum Euangelio dicto* non adderent; respondisse, *Romanam Ecclesiam* nullâ vnquam hæreseos labe contaminatam, eiusmodi vsum alijs Ecclesijs concedere; Quo responso non contentum *Imperatorem*, *Benedicto Pontifici*, vt morem induceret postea seruatum, persuasisse. *Placent ista*, inquit Baronius, (*e*) *sed nobis gratiùs, si venerandæ antiquitati annorum mille magis delatum fuisset, quàm nouitati*. Verùm sicut nouum non est *Ecclesiam Romanam* plura in ritibus aliarum probâsse, & in suam normam transcripsisse; ita constat initio Apostolorum institutione *Symbolum Apostolicum* in Sacro *Missæ* recitatum, si rectè ex *Dionysio Areopagita* colligimus; deinde verò à *Marco Papa*, qui *Siluestro Primo* successit, ob detestandam *Arianorum hæresim*, *Nicænum* fuisse substitutum, eundémque vsum *Damasi* decreto confirmatum, quoad extinctis aut sopitis *Arianis*, paulatim & serò intercidisset. Quando apud *Germanos* & *Gallos* post deiectio-

nem *Felicis Hæretici* sub *glorioso Carolo Magno Imperatore* Latinè,& crebriùs in *Missarum* cœpit officijs iterari. Quem sanè laudabilem morem à *Romana Ecclesia* reuocatum (*f*) hoc tẽpore, & quodammodo postliminiò restitutum *Arx fidei Roma*, *Henrico Magno* & Sancto semper referet acceptum.

a. *Glaber*, b. *Ditmar.lib.7.* c. *Annal.Hungar.ad ann.1014.* d. *Leo Ostiens.l.2. Chron.c.31.* e. *Tom.11.ad ann.1014.* f. *Herman.ad ann.1053.*

CAPVT XX.

Româ discedens Henricus Imperator, nouum in itinere Episcopatum fundat, Cluniaci & Virduni, de Imperio cum Monachatu commutando seriò iterum deliberat, sed eluditur.

I. PAucis pòst diebus *Henricus Imperator*, *Benedicto Pontifice* valere iusso, & *Odilone Cluniacensi*, quem itineris *Romani* Comitem habuerat,præmisso,ab *Vrbe* digressus est,& *Pascha Papiæ egit*; quam vt à nupero busto ornatiorem, ita fidei obseruantiorem inuenit. Quâcunque pergeret, pietatis & munificentiæ vestigia reliquit. *Bobium* ad *Apennini iugum Episcopatu* auxit; *tertium* vt *Ditmarus* loquitur, *deuoti operis ornamentum*. Oppidum à *Theodolinda Bauara,Longobardorum Regina* extructum olim,

& il-

& illustri *Cœnobio* auctum, multò etiam magis Sacris pignoribus *Columbani* & *Attalæ* nobilitatum est. Longiores moras, quamuis rebus ita poscentibus, *Italiæ* cælum *Germanis* non indulsit. Nemo tamen *Imperatoris* discessu lætior *Harduino* fuit, qui vacuus metu resumptis illicò armis, primo impetu *Vercellas* cepit, *Leone Episcopo* ægrè inter tumultum elapso; deinde proxima quæque corripiens, vexauit omnes, quos abs se *Henrici* studium diuisisset; vestigatum diu *Petrum Nouariensem*, cùm non inuenisset, rabiem in subiectos agros effudit, excisis omnibus quæ humano victui seruirent. Quod damnũ postea pensauit *Imperatoris* humanitas, extensis prouinciæ terminis, magnáque veterum iurium *Ecclesiæ Nouariensi* accessione factâ.

II. Eodem itinere ad *Odilonem Abbatem*, qui iam *Cluniacum* peruenerat, diuertit, & *Pomum aureum*, quod *insigne Imperij Romæ* à *Benedicto Pontifice* acceperat, eidem dono reliquit: Vt qui cum suis Monachis *mundum* verè pro *Pila* habuerit, & volubilis fortunæ illecebras religioso pede, plusquam regiâ potestate proculcârit. Sunt, qui & recèns impositam *Augustalem Coronam*, huic loco Anathema ab *Henrico* dicatam volunt: de *Pila* certo constat, quæ deinde magno pauperibus commodo cessit, quando fame, totius *Europæ* strage, grassante, vnâ cum alijs ornamentis, pauperibus alendis impensa,

tot coronas *Henrico* in cælo parauit, quot miſeri ab interitu ſunt vindicati.

III. Sed non hîc pietas *Henrici* ſtetit: quippe depoſito iam illo *Inſigni*, vel etiam *Diademate Imperij*, *Imperatorem* quoque exuere, & renouato antiquo propoſito, ſe quoque Deo conſecrare in animum induxit, atque vt voti compos fieret, apud *Odilonem* vehementer vrſit, abiecto etiam in oculis eius paludamento, vt hinc natum ſit in vulgi ore, *Henricum incognitum*, & veſte dignitatem diſſimulante ad *Odilonem* acceſſiſſe. Verùm eâdem prouidâ contumaciâ, quâ nuper ab *Anaſtaſio Strigonienſi*, ab *Odilone* quoq; retardatus, imo & repulſus eſt; quod is conſtanter affirmaret, hoc conſilium Numini eſſe inuiſum, ac planè improbatum. *Henricus* fidenti familiaritate ſecum agi ratus, vt *Odilonem* falleret, ab eo digreſſus, ad *Richardum Virdunenſem S. Vitonis Abbatem*, (a) antiquâ ſibi notitiâ cultum, ſe conuertit; eidémque libellum conceptis verbis conſcriptum, quibus accuratè, cur diuortium cum Regno faciendum meditaretur, cauſas complexus fuerat, offert; eius nutu paratus, quàm primùm eiurato Imperio, de ſummo gloriæ humanæ faſtigio deſcendere, & in *Diui Vitonis Cœnobio*, latebras inuiſo iam ſplendori obijcere.

IV. Et ne loquenti *Richardus* intercederet, in ipſo ingreſſu in *clauſtrum*, & coràm, in hæc verba prorumpit: *Hæc requies mea in ſeculum ſecu-*

feculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. (*b*) amplexúsque *Richardum*, & lacrymis inundans, eo auſpice totum ſe traditurum disertè ſignificat.

V. O ſecula! ô ſancti mores! quid non in ſummis Principibus ad mundi contemptum alliciendis, nedum vt de puncto diſceptarent potuiſtis? Motus tam ingenti cæpto *Richardus* moliri tamen auſus nihil eſt, niſi priùs ad *Haymonem Antiſtitem Virdunenſem* conſilij causâ retuliſſet. Ceterùm *Haymo* ſecum reputans ſubduci hanc *Columnam Orbis terrarum*, ſine ruinâ, aut certè ſine concuſſione *Reipublica* non poſſe, dehortatus eſt *Richardum*, vetuitque, ne tanto Imperij malo, maſculâ ſobole carentem Imperatorem, Cucullo indueret. Paruit *Richardus*, & appoſitâ oratione *Henricum* abſtinuit; negans præſentis temporis id conſilium eſſe: rectiùs facturum, ſi perſonam ageret, quam Deus ipſi tam certis ſignificationibus impoſuiſſet; poſſe etiam ſub *Purpura* gerere *Monachi animum*, maieſtatem cum modeſtia ſimul coniungere, & Orbi ſimul ſibíque ius dicere, denique domi foriſque eſſe Imperatorem.

VI. At *Henricus*, aduerſus ſpecioſas, vt rebatur, occultè tentantis machinas, animo obfirmatior, vrgebat; ac vt quàm primùm in *album Monachorum* adſcriberetur, vehementer ſupplex flagitabat. Victû ſe pertinaciâ *Richardus* annuere ſimulans, piâ quadam fraude, maximè

pium Candidatum circumſcribit; congregatiſque fratribus, coràm, pro more quærit, *num Monachus eſſe vellet?* *Henrico* id lacrymis, vt cùm maximè, affirmante; viciſſim *Abbas*; *Num promitteret obedientiam?* illo ad extremum ſpiritũ, magno animo ſpondente; ſubiungit: *Equidem te in Monachum recipio, ſed vt ad regendum Imperium reuertaris in nomine Dei præcipio.* Ita circumuentus *Henricus* cæpto deſtitit, Religionémque quam veſte non potuit, moribus eſt profeſſus, nunquam abiectâ ſpe ad vota redeundi, ſi nonnihil adhuc Imperio commodâſſet. Obſtabat tamen *Richardi* viuentis præceptum, quo ſe teneri ſubinde ingratijs dictitabat, vt Religioſus imperaret. Vixit verò *Richardus*, ſexdecim poſt *Henricum* annis, plenus diebus, & meritis miraculorum gloriâ claris, vt non pauci mirentur ſcriptum à *Petro Damiano*, viſum illum in tormentis inferni, excelſas machinas erigentem, & munita caſtrorum propugnacula conſtruentem; niſi intelligat in purgatorijs flammis expiantem, quòd dum in viuis eſſet, extruendis ædificijs curioſiùs quàm par erat, intenderet. Sed iam à Religionis candidato ad pium Imperatorem reuertamur.

VII. Digreſſus hinc *Corbeiam venit*, & *Silutum* loci *Abbatem*, & Monaſterij legibus nullâ obſeruatione ſeſe efferentem, *Meinuerci Paderbornenſis Epiſcopi* authoritate amouit: Huc verò, *Cluniaco* an ex *S. Vitone*, an denique *Corbeiâ*

ſexde-

sexdecim Monachos adduxit, quibus *Monaste-rium* recens, suâ & *Chunegundis* operâ extructum, regulari disciplinâ formandum tradidit. Ita nunquam pij coniuges ab erigiendis dotandísque *Ecclesijs*, & *Monasterijs* vacauêre, quicquid otij bellorum facerent induciæ, raró ipsi fidæ vel diutinæ.

a. *Hugo Menard.lib.1. obser. in Richard.* b. *Psal. 131.*

CAPVT XXI.

Henricus pacis amantior frustra Boleslaum flectit. Rebelles affines in gratiam recipit. Merseburgensem Ecclesiam instaurat. Ablutionem è Calice sumpturus Sanguinem offendit. Prodigiosa victoria eius auspicijs à quibusdam attributa.

I. B*Oleslaus* victis *Ruthenis*, quasi gratiâ *Henrici* non ampliùs egens, nuper acceptam nouâ perfidiâ corrupit. (*a*) De qua sub initium anni Millesimi decimi quinti relatum in Conuentu Procerum *Merseburgi*, omnium assensu, vt bello peteretur non perfunctorio, decretum est. Sed *Henricus*, pro ingenio rem moderans, lenire quàm asperare crimẽ maluit, ac tantùm mandauit, vt ad officium reuocaretur. Legatus ad illum iuit *Herwannus* gener *Marchio Misniæ*, sed affinitatis, quàm Reipubli-

cæ

cæ studiosior: id tamen non suo, sed meliorum ingenio effecit, vt fratres *Chunegundæ Augustæ* partes *Boleslai* detestati, ad bonam mentem redirent.

II. Isti itaque humiliati, nudique pedes, & sordidati sub oculis Cæsaris, noxæ exempti, & clementiæ donati sunt. Adfuit spectaculo *Boleslai* Legatus, captáque ex præsenti argumento responsa, rediens tacuit; alia omnia ex ingenio commentus. *Boleslaus* proinde, pacis, quæ coalitura videbatur insolens; *Miesconem* filium ad solicitandam *Vdalrici*, cui nuper *Henricus* amoto *Iaromiro*, *Bohemiam* tradiderat, fidem misit: Is detestatus consilium, consultorem cæsis socijs in vincula coniecit: sed Cæsare iubente Patri peiora merenti, restituit.

III. Dum in procinctu esset *Henricus*, ferias *Pentecostes* agenti, oblatus est admissione postulatâ homo agrestis, afferre se dictitans, quę internuntium refugerent, *Oracula* nempe ad se delata, quæ *columbâ interprete* didicisset. Ea *Henricus* nec improuidus, nec facilis inanibus, imò vt loquitur *Ditmarus*, *monitoris impatientior*, ad *Conuentum Aquisgranensem* reiecit, illic etiam adesse iusso, *rustico vate*. Quid rerũ fuerit, postea non innotuit, Cæsarem maiora apprehendisse, indicio fuit, ad Comitia reiecisse. Interim, ne quando pietas vacaret, maior incessit cura *Ecclesiæ Merseburgensis* ornandæ, cui, quæ præter oppida & villas contulit, immanitate pretij æstimatio-

mationem ſuperant, ſiue artificio, ſiue materiâ ſpectatâ, quando inſtrumenta vniuerſa Templi, ceteris metallis neglectis, non niſi auro mero, & electro, gemmíſque conſtabant, dicta potius quàm credenda, niſi *Ditmarus* loci *Epiſcopus* ſingula fideliter recenſeret numero fatigatus, præcipuum hoc *Redemptionis Animæ* appellans argumentum.

IV. Hoc porrò loco & tempore accidit, memorabile illud *Laurentiani Calicis* prodigiũ. (b) Cùm enim Sacerdoti ſacris operanti piè intenderet *Henricus*, quod quidem ſingulis diebus non ſemel ad diuerſas Aras, *Merſeburgi* tamen ferè ad *Diui Laurentij Martyris* factitabat: ſolito more, quæ eius præcipua deuotio fuit, accepturus ſupremam è calice, quâ Sacerdos digitos tingebat, ablutionem, forte negotijs regni vrgentibus, repentè auocatus intermiſit, amicè Cuſtodem Eccleſiæ monens, vt diligenter aſſeruatam paulò pòſt redituro porrigeret. Ceterùm gliſcentes in momenta cauſæ cùm totâ die diſtrinxiſſent, in alterum diem inuitus diſtulit, primóque diluculo, cum paucis familiarium clanculò ſacram Ædem ingreſſus, flexis genibus, in lacrymas ſolutus diutulè orauit, tum accerſito Cuſtode, vt calicem propinaret præcepit. Attulit ille reuerenter, & diſcopertum præbens, quicquid pridie liquoris aſſeruârat, in *merum & liquidum Sanguinem* abijſſe miratur, *Cæſarémque aduertit*. Is rei nouitate

attonitus,familiares ſpectatum inuitat,cunctíſque miraculum ſtupentibus,Deo laudes dicit, ſumptione tamen abſtinet,indignum ſe *Angelorum potu* ratus, *Epiſcopo* verò & ſacerdotibus permiſit, quid vulgato iam miraculo fieri cenſerent. His viſum, vt tam probatæ Deo pietatis Cæſareæ Symbolum, ad poſteritatis memoriam digno, & publicæ religioni patenti eminùs loco reponeretur.

V. Sed non abs re fuerit in hoc genere argumenti, decantatæ illius de *Merſeburgenſi Eccleſia* reſtituta meminiſſe narrationis, nullius fide extortæ niſi periculum ipſe fecerit. Aiunt poſt vaſtatos à *Giſelero Magdeburgenſi*, *Eccleſiæ Merſeburgenſis* agros, cùm adiacentes *Polonis Bohemíſque Slauorum* populi maiorem calamitatem, velut proteruiâ factâ intuliſſent, *Henricum* habitis *Quintelenburgi Comitijs*,paratíſque copijs in eos ducturum, gladio *Diui Adriani Martyris*, qui proximo *VValbechi* oppido,pignus ſanctitatis ſeruabatur, ſe accinxiſſe; & mox progreſſum,caſtráque haud procul à *Merſeburgenſis Eccleſiæ* ruderibus metatum, vbi deſolata omnia conſpexiſſet, ingemuiſſe, & religione tactum vouiſſe quàm ſanctiſſimè, ſi propitio *Laurentio* loci *Tutelari*, illatas de hoſtibus iniurias vindicâſſet, illius honori cultuíque augendo, *Ædem* magnificentiâ priori non inferiorem ſe moliturum. Nec mora, ſimul atque aciem *Euchariſtico cibo* refectam,in hoſtes ex ad-

uer-

uerso consistentes direxisset, visos ante prima signa distringere cœlestes Heroas *Laurentium*, *Georgium*, *Adrianum*, & inter hos *Fulminatorem Angelum*, renouatis antiquæ in *Senacherib* potẽtiæ miraculis, formidinem, fugam cædémq; præ se agere: verbo, de victis palmam *Henrico* porrigere. Ita factum, vt damnatus voti, victoriæ monumentum incomparabilis statueret, Templum *Laurentio*, longè quàm primum fuerit, augustius. Sic complures narrant, nihil aut supra meritum *Henrici*, aut contra insolentiam exempli. Ceterùm *Ditmarus* rebus præsens & fauens, quippe tertius à *Giselero Merseburgensis Ecclesiæ* clauum rexit, plenam licet de instauratione historiam tradat, tam necessariæ narrationis, in re sua, mirùm cur ad religionis splendorem non meminerit.

VI. Res est, excitatis nationum infensarum armis, nullum crudelitatis & sacrilegij genus prætermissum, plures *Ædes sacras* atque etiam *Episcopatus* extrema passos; in quibus & illa *Diui Laurentij in Vrbe Caluensi* ad solitudinem redacta, scriptoribus argumentum fecit, à prodigio, quo cœlites pietati ruenti manum porrigere sunt visi. Clarâ quippe luce, & ardente cùm maximè *Hamburgensi Æde*, panda explicatáque manus cœlo in medias flammas immissa, protinúsque sub nubes retracta, *Diuorum Cineres* cineribus exemisse credita est. Spectauit impij Dux belli *Mistiuoius Oborita* pauidus

monstrum; spectauêre & sacrilegæ barbarorum phalanges, incussóque repentè panico metu, confusis ordinibus ad *Tangeræ flumen* ruentes, Christianorum gladijs exceptæ sunt, & triginta legionum, quæ confluxerant in excidium religionis, sceleratus cruor fluentis restagnauit. Ex piorum numero, tres non ampliùs sunt desiderati. Ante prœlium omnibus diuino epulo pastis, qui mos *Henrici* militi fuit, victoriam Diui Antesignani præluserunt. Quo factum vt Scriptores illius temporis, hoc quoque prodigium eius auspicijs adscripserint, cuius gloriosis facinoribus nihil non cœleste attribui posse sibi persuadebant.

a. *Adelbold.* b. *Apogr. Gretſ. cap. 28.*

CAPVT XXII.

Henricus post varios successus cum Boleslao conciliatur. Misnam vrbem instaurat. Burgundiæ Regnum vendicat, Templum Argentinæ fundat, Merseburgensem Ecclesiam ornat; A Poppone Abbate reprehensus paret. Obotritæ deficiunt.

I. HEnricus luculentiori gloriâ studium in *Polonicam expeditionem* conuertens, *Magdeburgi* ad *Diui Mauritij*, religiosè vota concipit. Mox instructis iam copijs iter ad *Albim* intendit. In *Lusatiorum* finibus cum præ-

ſidiarijs *Cinnenſibus* erumpere auſis feliciter congreditur. Hinc *Croſnam* mouens, *Mieſconem* fidei admonitum ad deditionem inuitat; verùm is *Boleslaum* patrem, ſuo ſtudio flectendum, ſimulatè appellat. *Henricus Oderâ* tranſmiſsâ pugnam offert, & tribus duntaxat ſuorum deſideratis, ſexcentorum ſtrage editâ, prædâ potitur. *Boleslaus* vado fluminis inſeſſi, à ſuppetijs filio ferendis excluſus, in agrum populandum effunditur, exiguo damno. Non minori felicitate alibi ab *Vdalrico Bohemo*, & *Henrico Auſtrio* belli ſocijs res geſtæ; ad quos tendentem *Henricum* penè *Boleslai* inſidiæ intercepêre. *In paucitate virtus enituit*, ducentorum iacturâ victoriæ prioris integritatem, pluribus ex hoſte cæſis, non delibauit. Parte alterâ *Mieſco Miſnam* vrbem, tranſito *Albi* ſeptem legionibus tentauit; immiſſo igne, re propè ad deſperationem adductâ actum erat, niſi virorum defectum *Fœminæ* occupâſſent; *ignem mulſo, ſubeuntes ſaxis* exanimantes. Ita hoſti ſpes victoriæ erepta, & matronis honos hábitus, vt quotannis circa *Natalitia Virginis*, vxore Conſulis agmen ducente Templa ſupplicabundæ obirent, votáque pro incolumitate vrbis, à ſuo olim ſexu ſeruatæ, nuncuparent, maſculâ virtute à viris famæ commendatâ. Addidit *Henricus* tanto facinori pretium, vt pulchrior è buſto *Miſna* reſurgeret, ne Heroidum patriam cineres ſepelirent. *Tres Epiſcopi* fabris præfecti, nec ampliùs *quatuordecim die-*

rum spatio, magno feminarum honore noua *vrbs* reposita est.

II. Inde *VVirzeburgum* concedens *Imperator*, hîc festo *Palmarum*, *Bambergæ* verò *Christi Patientis* & *Resurgentis* memoriâ celebratâ, *Argentinam*, cum *Rudolpho Burgundione*, materno auunculo acturus, petijt. Incesserat huic abdicare se Regno, cuius curis imparem se sentiebat, idémque Imperatori commendare, Collegæ tamen iure, dum viueret conseruato. Assensit *Henricus*, & mox indeptâ potestate in vacuam Sedem Pontificiam, *Episcopum* immisit. Sed enim acriter obstare nonnulli Proceres: quos inter *Grogliclonus* quidam morum insolentior, immissum non deturbauit modò, sed fugientem, canibus insectatus est; hos ille latebris abditus *Crucis signo* compescens, Domino modestiores remisit. Idem *Henricum Basileam* pergentem, coactâ manu passim Vrbibus exclusit, nec contumaciæ vindicandæ tum modus Cæsari fuit, vt qui cum paucis, suorum duntaxat Procerum comitatu, ad amicos accesserat.

III. Oblata interim ei pietatis exercendæ non vulgaris occasio. Quippe *Argentinæ* labefactatas Diuorum Ædes restituit, & *VVernero Episcopo* autor fuit *Templi* illius, quod hodie inter *Orbis Miracula* censeri potest, inchoandi, cuius fundamentis iaciendis, vt hinc opus æstimes, operæ centum continuis decem annis, va-

can-

cantes, vix demum solo tenus eductam substructionem cœperunt ostendere.

IV. Porrò suspensum apud *Burgundiones* rerum exitum, solata est victoriæ *Benedicti Pontificis* de *Sarracenis* fama, Rege eorum fugato, Reginâ captâ, spolijs immensis reuectis: in his Regium diadema gemmis distinctum, quod *Pontifex* sibi vindicauit, Imperatori verò manubias mille non minus auri libris æstimatas, misit. Lectæ *Pontificis* literæ in publico Procerum conuentu, plausum habuêre, maximè ex responso, quo *Pontifex Sarraceno* Regi cauillum remensus est. Hic enim clade suorum saucius, & præ furore amens, saccum castaneis fartum *Pontifici* miserat denuncians, se proximâ æstate tot armatorum copijs *Italiam* irrupturum: *Pontifex* contrà peram milio plenam remittens addidit, totidem se loricatis castaneas excepturum, *Henricus Pontifici* honorificè gratulatus, & pro munere gratificatus, officium & auxilium spondet, quoties id visum fuisset.

V. Agitata mox eodem Conuentu *Boleslai*, toties fide defecti causa, vocatúsque ipse ad colloquium, securus mali, cùm contempsisset, hostis Reipublicæ iudicatus est, bellúmque in eum decretum. Quod antequam signis explicaretur, *Henricus* semper sui similis à pietate cœpit, receptis iterum in gratiam & pristinam dignationem *Aquisgrani Theodorico Metensi Antistite*, & *Henrico Bauariæ Principe*, quo etiam

Legato ad *Boleslaum* aliquando vſus eſt, ſpe pacis irritâ. Geſtum hoc bellum vario euentu, fortunâ interdum *Cæſari* inuidentiore, nec tamen *Boleslao* blandiente; qui præterea noui à *Ruſſis* belli metu impendente, gratiæ integrandæ cogitationem verſare, non ampliùs vt videbatur corrumpendam. Negotium ad *Francofurdenſia Comitia* reiectum eſt.

VI. Eâ expeditione vtcunque confectâ, *Henricus* ad ſolita pietatis ſtudia, ſine quibus nomen *Imperatoris* haud conſtare dicebat, conuerſus, *Merſeburgenſem Eccleſiam* inſigni liberalitate proſecutus eſt; *aureâ* ibidem *Arâ* dicatâ, pluribúsque poſſeſſionibus additis tam largè, vt tum demum priſtinum recepiſſe decus æſtimata ſit. Adfuêre ſecundùm hæc Legati *Boleslai Francofurdi*, & repetitâ fœderis tractatione, id ſancitum eſt, pactis & conditionibus tempori, quàm rei magis idoneis. *Cæſar* & pietatis in *Merſeburgenſem Eccleſiam*, & moderationis erga *Boleslaum*, fructum tulit *Moguntiæ*, quò *Rodulphus Burgundio Regni* ſui Inſignia vltrò amandauit, eidémque per Priuignos & Coniugem, cum Optimatibus, *Sacramentum* dicere iuſſit.

VII. Subſecuta inde *Neomagenſia Comitia*, magnâ vtriuſque Ordinis frequentiâ: adfuit & *Poppo Stabulenſis*, optandæ Principibus Sanctitatis *Abbas*. Hîc dum forte *Cæſari* & Proceribus recreandis *Circenſes* ederentur; non nemo hiſtrionum melle toto corpore delibutus, obiecit

ſe

ſe vrſis, gratâ horum illecebrâ delingendus, ſed gratiores ſpectatoribus ferias facturus. Rem flagitio plenam conſpicatus *Poppo*, memorandâ dicendi liberate adorſus *Cæſarem*, id genus ludi ab Ethnicis repetitum non oculis *pij Cæſaris*, ſed *Neronianis* aptum affirmauit, nec proinde eſſe gladiatoriâ manu haurire, quàm indulgentiâ beſtijs factâ, ſanguinem eliçere humanum, horrente naturâ: huiuſmodi ſpectacula à Religione Chriſtiana damnata, ſi *Cæſar Chriſtianus* probet, impietatis reum quæ piacula reſoluent? Facilè erat penetrare tam forti aculeo pectus, vltrò pietati patens, illico enim demiſsâ ad animum reprehenſione, non paruit modò religioni, ſed damnatâ continuò infamis hiſtrioniæ licentiâ, poſteris cauit, & *Popponem* monitorem adulandi ignarum ſanctiùs adamauit.

VIII. Mox hoc eodem Conuentu cauſa *Obotritorum* & *VVarorum* ventilata. Hi vt exleges viuerent, Deo Cæſaríque datam fidem, refugæ, duplicato ſcelere exuerunt: Nihil ingratiùs accidere *Henrico* poterat, quàm religioſiſſimos populos videre momentò in ſummam impietatem relapſos; vt proculcatis ſacris, & Numine contempto, ſuperſtitioni ferro flammáque litarent, expugnatâ etiam, *Antiſtite* capto, vrbe *Chiouiâ*, quadringentis ampliùs in ea, ſi *Ditmaro* credimus, Templis euerſis, vt mirum fuerit tantùm potuiſſe breui impietatem, niſi peccata populi prouocâſſent, nulla quippe vis

flammæ vehementiùs, quàm ſcelerum vindicta corripit. Sed premenda *Cæſari* vltio viſa, donec furor deſcdiſſet, ne armis potiùs quàm clementiâ aliquãdo experiretur. Interim rebus vtcunq; cõpoſitis, collecto exercitu in *Burgundiam* proficiſcitur, nouorum Clientum fidem periclitaturus. Paucos offendit qui ad libertatem aut non aſpirarent, aut aliò non reſpicerent, vt toties impendio, quàm fructu maiore ius quæreretur.

CAPVT XXIII.

Benedictus Pontifex in Germaniam profectus, ſummo plauſu & veneratione excipitur. Cur venerit, & quid in Germania egerit. Viciſſim in Italiam inuitat Imperatorem, ſuo tempore iturum, & de huius interim piè geſtis.

I. REligio an *Imperium*, maius *Henrico* nomen fecerint, in medio hæret: nemo tamen potentiam veritus eſt, qui pietatem non ſuſpiceret, reliqua ex his metiens. Id *Rodulphus Northmannus*, quem *Benedictus Pontifex* formâ & arte bellandi ſpectabilem, contra *Græcos, Romanæ Eccleſiæ* fortunam infeſtantes, auctorauerat, cùm probè intellexiſſet, tot prælijs Victor quidem, ſed ſuis copijs non parùm acciſis, ad *Henricum* venit, bello perſequendo manum & opem imploraturus. *Henricus* viro forti,

ti, quem videre cupiuiſſet, nihil abnuit; quin pro rebus præclarè geſtis, collaudatum, honoribus & muneribus coluit, ac vt vltrò operam ſtrenuè nauaret; hortatus eſt; reliqua ad *Benedicti Pontificis* aduentum, quem lætiſſima fama iam mouiſſe ferebat, ampliata.

II. Appulit tandem *Benedictus* totâ *Germaniâ* plaudente, dum communem *Orbis Christiani* parentem cum ſuo *Imperatore* amplecteretur. Quo autem honore exceptus, quo obſequio deductus ſit, ex religione & magnificentia inuitantis *Henrici* conijciendum eſt. Triduo certè ante *Paſchales ferias Bambergam*, non ſine triumphantis ſpecie ingreſſus eſt, ſacrum carmen alternantibus choris, omnibus præſentem in eo Deum venerantibus. *Feria* nimirum *quinta* erat *Cœnæ Domini Sacra*, adeòque *hora ſexta matutina*, cùm *Pontificalibus* indutus, tanquam ad peragenda diei myſteria ſolenniter inceſſurus, venit; ſuſceptúsque ab *Imperatore* eſt immensâ omnium Ordinum, totius Cleri, atq; Populi exultatione, ſcilicet in tam exoptati, nec facilè alias viſi, aut viſendi hoſpitis aduentu, *iucundam Deo decorámque laudationem* reddentiũ. *Quaterni* per interualla erant cantantium, modulantiúmque varijs inſtrumentis *chori*: *primus* in vlteriori fluminis ripa, *alter* in citeriori, *tertius* ad portam vrbis, *vltimus* in atrio Templi. Vbi primus omnium ipſe *Imperator*, ſubiecto brachio, *Summum Pontificem* è Sede exceptum,

in

in *domum Domini* deduxit, ac diuinis hymnis alternante canorâ suauitate mulcentibus, in *Pontificia Cathedra* collocauit.

III. Tum inchoato diei officio, *duodenis mitratis Episcopis* assistentibus, solennitas peracta; nec minori celebritate consequentes dies sacrati; sed *Dominicâ Resurrectionis, primam* matutinæ lectionem *Patriarcha Aquileiensis*, *alteram Archiepiscopus Rauennas* Cæsaris frater; *postremam Summus* ipse *Pontifex* decorâ maiestate decinuit. Tum instituta more patriæ per Templum ornatissima Sacrorum processio, *Pontifice* sub vmbella, *Imperatore* ponè gradiente, solennitatem supra rerum illic gestarum memoriam longè extulit. Dies reliqui secundùm *festa Paschalia* dati animis, & negotijs quæ *Pontificem* in *Germaniam* potissimùm exciuerant.

IV. Causa aduentûs cõpresso iam *Schismate* non eadem, ac primi fuit; neque vt *Ecclesiam Bambergensem* consecraret, quod dudum fecerat *Ioannes Patriarcha Aquileiensis*, sed vt *Episcopum* ipsum confirmaret, *Imperatoris* voto, *Romano Pontifici*, vt diximus, obnoxium & vectigalem. Dedicatam verò hoc eodem tempore à *Benedicto*, non solùm *Diui Stephani Protomartyris*, quod plerique, sed etiam *Sancti Georgij* Ædem, quod *Leo Ostiensis* tradit, nihil perplexi habet; nisi hæc eadem sit, cum *Basilica Principis Apostolorum*, vt ex *Glabro Baronius*, quam nos à *Ioanne Patriarcha* initiatam modò affirmauimus,

mus. Verosimilius est, non nisi *Sacris Pontificijs* operatum *Benedictum*, quando illi honoris causâ *duodeni* duntaxat ministrauêre *Episcopi*; quippe dedicanti *Ecclesiam Protomartyris septuaginta* suffragatos *Antistites* constat, quos inter facilè primi *Ioannes Aquileiensis*, & *Arnulphus Rauennas*, Cæsaris frater, recensentur.

V. Non minùs speciosam causam afferunt fragmenta Historiæ *Aquitaniæ*; venisse *Pontificem*, non vt *Ecclesiam* solam, aut *Episcopatum*, sed vt *Ciuitatem* ipsam, recèns ab *Henrico* aut fundatam, aut suburbanis ornatam, cum omni circùm districtu & territorio, *Dei Genitricis* honori dicatam transcriberet. Præ omnibus est inuitatus *Cæsaris*, & consilium *Pontificis*, coràm agere de auxilijs *Ecclesiæ Romanæ* contra *Græcos* ferendis, vicíssimque *Imperatorem* inuitare. Quippe tyrannide suâ *Græci* iam *Apuliam* & *Calabriam* occupârant, ditionem vsque ad *Romanos* fines proferentes, ídque occultâ *Capuani Principis* conspiratione, qui clauibus aureis ad *Basilium Constantinopolitanum Imperatorem* missis, se suúmque Principatum eiusdem iuri mancipârat. Tum certè & *Melus* ille *Apuliæ* Procerum fortissimus, qui *tertiùm* feliciter cum *Græcis* congressus, *quarto* prælio fusus, ad *Cæsarem*, opem imploraturus, venit; & *Rodulphi Northmāni* cæpto momentū haud leue addidit; *Pontificis* tamen authoritas vel sola *Imperatorem* impulsura erat, vt nullâ interpositâ morâ in *Italiam*

liam duceret, nisi domesticæ turbationes differre coëgissent, his sedatis opportunè profecturũ.

VI. Erant in armis *Conradi duo*, patrueles, alter horum post *Henricum* imperaturus; *Adalberoni Duci Carantanorum*, incertum qua de causa infensi: Parte aliâ *Burgundiones*, spretâ *Rodulphi Regis* ignauiâ tumultuabant. Vtrobique succursum est; Verùm interim *Adalbero* fortissimis Ducibus bello impar cessit; *Burgundiones* autem obiecto sibi *VVernero Argentinensi*, prælio victi resipuerunt. Ita *Henricus Cæsar* pacati *Regni*, *Regisque* seruati laudem tulit. Supererat reuocandus ad officium *Ottho Comes*, illicitis nuptijs deuinctus, nec monenti *Moguntino* parens; cuius proinde *censuram*, & *Cæsaris indignationem* prouocauit, hoc maiore contumaciâ, quòd vtriusq; authoritate neglectâ, *Episcopatum Moguntinum* ferro flammâque vastaret. Id propter *Cæsar* non minùs *pudicitiæ* & *religionis*, quàm *iustitiæ* tutelam ad se ratus pertinere, hominem castro suo, perinde latrociniorum & armorum latibulo, conclusum obsidet; ac tandem fame pressum ad deditionem compellit. Mox etiam noxæ datum iussis parêre cogit. Dignum laude facinus *Henrici*, longè illustrius euasit, *Heriberti Coloniensis* quem inuisum ferebat, redintegratâ gratiâ, Numine iram flectente, quam ad nocendum viro Dei toto conatu consciuerat. Cuius rei digna sane memoria paulò altiùs repetenda est.

CAPVT

CAPVT XXIV.

Heriberto Colonienſi indignatus Henricus, & diuinitùs commonefactus, memorando humilitatis exemplo reconciliatur.

I. DIximus in loco *Heribertum* aliquando apud *Henricum* offendiſſe, quòd mortuo *Otthone Auguſtalia inſignia* penes ſe retinuiſſet, nec electioni *Principis noui* interfuiſſet, Ea res &ſuſpicioni *Cæſaris*, & linguis obtrectantium anſam præbuit, vt conceptum odium, admotis flabellis paulatim flāmeſceret; ita permittente, qui hinc admirandæ virtutis argumentū exiſtere decreuerat. Ex eo itaque tempore *Henricus Heriberto* obliquus, ad Caſtra contra *Otthonem* de quo nunc diximus, inuitatum, nec venientem, perſequi ſtatuit impotentiùs; opinatus non *febri*, vt prætendebat, ſed *faſtu* flagrantem officium detrectare. Proinde expugnato *Otthone* plenus irarum, veteris quoque offenſæ cicatricibus recrudeſcentibus, *Coloniam* pergit, *Pontificatu* ſi poſſit hominem deiecturus, vel certè ad modum iræ, quam ciniflones nutriebant habiturus; iactato interim *cauillo*, aduiſendum ſibi eſſe *febrientem*, & onere leuandum ne ſuccumbat.

II. Sed enim, *qui circumdedit mare terminis ſuis, poſuitque vectem & oſtia, & dixit hucuſq;*

venies

venies & hic confringes tumentes fluctus tuos; (a) procellam ab immerentis capite *Henrico* emendato auertit. Quâ nocte *Coloniam* ingressus, & perquam officiosè susceptus, sopori se dedit, conspicatus in visu virum, haud mortali specie, *Pontificalibus* amictum, audijt monentem iuxta & minantem: *Caue Henrice Heribertum offenderis, iudicandus, crede, Maiestatis longè tuâ maioris, quicquid in Dei amicum admiseris.* Ipso vocis sono dum tremebundus euigilat, non somni ludibrium, sed veri Numinis minas seriò interpretatus, minimè distulit in se animaduertere; primóque mane accersitum in conspectum Procerum *Heribertum*, cum is inscius superni consilij, ad cognitionem vocari se arbitraretur, vix ingressus obiectâ innocentiâ, iudicium lacrymis parabat auertere; sed intercessit *Imperator*, repentè solio exurgens, & amplexus hominem, lacrymísque inundans.

III. *Non*, inquit, *te* Heriberte, amice Dei, *ad Tribunal accersiui, sed vt coram senatu Principum, mei in te odij testium; meæ, illorúmque religioni consulturus, deprecer flagitium, immerentis periculo contractum: priuatim facturus, nisi publicè offendissem. Proinde* Heriberte *depono* Imperatorem, *& accusante me Cœlo*, impium, *& tibi* obnoxium *dedo caput*; *tu sume* imperium, *eóque in me rigidissimo vtere, nullam in summo iure iniuriam deprecabor; scelus meum & innocentiam tuam, nec leges, nec exempla nouissima vnquam æquabunt.*

æquabunt. Tulisti præiudicium sermonibus iactatis, sed te silente discreuit, qui tuas virtutes æstimare solus nouit, & me falsi cognitorem prædamnauit. Inuisus sum Numini fateor, qui priùs Cœli patientiam rupi, quàm tuam: Numen ipsum tuo iudicio me sistit, sed quâ causæ fiduciâ, quo Patrono aggrediar? cùm ipsa, si quæ potest offerri excusatio, vecors est, & plena criminis, faciles obtrectantibus dedisse aures, iratum pronunciâsse. Hoc vno me iure tuebor, si reũ confitear, te actorem, testem & iudicem agnoscam; Accusare *proinde &* damnare *iure potes*, absoluere *non nisi* clementiâ; *hoc si feceris, nunquam me nocentiorem, nec te magis innocentem probaueris; quando priùs ignouit, qui te de me vindicauit, & vt tu ignosceres me seruauit dignum fulminari, non moneri, nisi te in posterum amauerim, vnicè coluerim.*

IV. His dictis in amplexus & oscula *viri Sancti* ruit, pluráque dicere parantem is inhibuit, qui viciſſim animo colliquescens, dum eloqui gestit, voce oppreſsâ, lacrymis indulgentiam profatur, & inauditi exempli modestiam reciprocâ humilitate damnat. Nec minor admiratio tenuit *Proceres* circumstantes, & *pietatis* certamen in ambigua *victoria* æstimantes. Ceterùm non satis fuit *Henrico* hucusque se demisiſſe, proximâ nocte post preces matutinas, vno comitatus Clerico, ad *Heribertum* in oratione pro more peruigilantem adijt, & detractâ *purpurâ* ad pedes eius se abiecit, non desistens

complecti, donec verbis expressis veniam exoraret. Non potuit non tangi *Heribertus*, protinúsque eleuatum *Imperatorem* bono animo esse iussit, certum de propitiato Deo, qui tam supplici non posset irasci: quod ad se pertinet, satis supérque esse aiebat, innocentiâ explicatâ pacatum habere *Cæsarem*; huius iam votorum supremi cōpotem, non ampliùs cupere vitam morari, nunquam paria visurum; vt sufficiat oculis adeò nobile spectaculum, *Cæsaris* de se *triumphantis*, cui quæ *Corona* in cœlo respondeat, proximè se Deo dante agniturum.

V. Hæc dixit, vnáque addidit: *Noueris ergo Imperator, vltimum hunc esse congressum, quo fruimur, mox digressis copia videndi & alloquendi inuicem nulla ampliùs fuerit.* Quo audito consternatus *Henricus*, iuxtáque intimè compunctus, amplexus iterat, & è collo diutulè hærens, lacrymis vbertim manantibus rigat, manus demum atq; etiam pedes reluctantis deosculatus, inter verba & suspiria fracta, vix tandem auulsus est, mœstam cogitationem referens, & *Heriberti* semper in posterum, nunquam sine dolore memor.

VI. Hactenus de *Henrici* in *Heribertum* offensa, eius denique pœnitudine, mirâ Numinis prouidentiâ, maioris hinc argumenta sanctitatis eliciente, & vsitato in sumis Dei amicis exemplo, peccatis in bonum cooperantibus. *Gratia Dei*, inquit Rupertus Tuitiensis (*b*) *promouendo*

do Imperatorem ignorantiæ eius pepercit, cuius alioqui animam timor Dei ita possidebat, nihil vt in Regno sciens, prudens decerneret, vnde offensæ apud cœlestem Maiestatem reus foret; eóque nihil vnquam suscepit agendũ, nisi preces & largæ eleemosynæ præuiissent: his meritò assignandum, ne, oraculo præuentus & seruatus, grauiore scelere se obstringeret. Hæc ferè Rupertus.

VII. Quo exemplo permotus *VVolbodus Leodiensium Episcopus*, ad *gratiam Cæsaris*, quâ exciderat, aspirabat: dubius autem auro an officio perueniret; intellexit auro nihil esse impervium. Iterum, an eo in manu *Cæsaris*, an pauperum sinu condito, satius esset Dei quàm hominis fauorem mercari? post pauca, subijt consentaneum magis esse Christianis, quidni maximè *Pontificijs* moribus, *Christum* in *pauperibus* pascere, quàm fiscum saginare, quod rarò sine iactura *Christi pauperúmque* fuerit; Principum gratiam fugacem, magnis & pretiosis comparari, Cœlestem fidam & stabilem longe viliùs: interdum & sine nummis emi: proinde si nundinari lubet, pauperibus dandum vt gratiam Dei fœneremur. Sic secum *VVolbodus*, & *Centones* præ *Purpura* habens, neglecto fauoris apud *Cæsarem* aucupio, omnem illam *pecuniam in pauperes* prodegit. Quod factũ vbi *Henricus* intellexit, adeò non improbauit, vt æstimatâ hominis virtute, maiore quàm vnquam & fauore, & honore eum dignatus sit; neque solùm, sed flagran-

tiore deinceps beneuolentiâ complexus, qui humana propter Deum generosè contempsiſſet, ſacris etiam largitionibus, ad ſtipes Regias erogandas admouit, *ſapientem* ſcilicet & *fidelem patrimonij Crucifixi* acturum *diſpenſatorem*.

a. *Iob.c.38.* b. *Rupert. in Heribert.*

CAPVT XXV.

S. Heribertus moriturus, prædicit obitum Henrici: Eppo Bambergenſis videt Heribertum ſine Baltheo in cœleſti conſeſſu, & ob id accuſatum Henricum: Qui monitus pœnitentiam renouat.

I. VLtimum *Heriberti* cum *Henrico* in hac vita congreſſum, illo præſagiente memorauimus; obſcuro tamẽ vaticinio, vtrius primùm deceſſu euentus probandus foret; niſi *Heribertus* exacto nondum anno, & naturæ & fidei debitum exſoluturus, præfixum etiam *Henrico* vitæ limitem deſignâſſet. Itaq; morti proximus, adſtantem ſibi *fratrem Comitem Gezemanum*, vbi conſpexit molliùs lacrymantem, quòd timeret *Imperatorem* familiæ infenſum, *Heriberto* ſublato, quem ſolùm verebatur, in conſanguineos & indignationem, & calamitates exerciturum; blandè ſolatus, *Regem frater mi*, inquit, *immortalem; omnibus quibus te inſtruxi modis, ſtude tibi efficere propitium; de iſto autem homine communis*

munis necessitas finem factura est, *vt & ipse viam vniuersæ carnis ingrediatur* : *Noueris enim quia post obitum meum, trium non peraget annorum curriculum.* Hæc *Heribertus*, & *dictis* vt in loco narrabimus, respondit *euentus*.

II. Interim verò defuncti *Heriberti* gloriam; Deus *Henrici* admonendi gratiâ *Epponi Episcopo Bambergensi* mirabiliter ostendit. Vidit hic *Beatorum in Cœlo concilium*, posito in medio throno, expectantium *Heribertum* in eo collocandum. Qui tandem comparens cùm omnium oculos assurgentium in se conuertisset, visus est *Baltheum Pontifice* dignum, alienâ culpâ, non habere. Quærentibus verò quisnam eo derepto, tanto *Dei amico* illudere præsumpsisset; illicò fuit, qui *Henricum Imperatorem* notaret, vt qui viuentem modis non dignis immeritò habuisset. Obstupuit *Eppo*, & confestim *Henrico*, qui tum *Bambergæ* erat, adito, quod vidisset renunciauit, cognitúmque postea eâdem horâ migrâsse *Heribertum*, quâ se vidisse, quæ referebat *Eppo*, dixisset.

III. Non perculit *Henricum* offensionis memorem, perinde & officij sui, neque enim à quo *Heribertum Coloniâ* discedens reliquerat, quicquam piaculi prætermisit, quo Deum placaret. Quin verò securus promissæ ab *Heriberto* veniæ, recenti hoc ostento multò magis de propitiato Numine confidebat. Nihilominus

vt *Epponem* audijt dolore incalescente, & suspirijs ex imo pectoris ductis ingemuit, cœptáque maiori studio religiosâ procuratione, *Baltheum* quem *Dei amico* abstulisset, longè ornatiorem restituit; Scilicet vt *Rupertus* memorat, *Imperialem manum largiùs extendens, dona Christi Ecclesijs, pauperibúsque distribuit, sacrísque Missarum solemnijs, Psalmis & Orationibus, Transitum Beati Præsulis edixit celebrari: Verè vt sapiens hoc egit, quia non alio modo meliùs rapinam eius potuit restituère, quàm faciendo pro semetipso fructus dignos pœnitentiæ.* (*a*) Hæc *Rupertus*, piè præterea arbitratus, dictam visionem perinde honori *Heriberti*, ac religioni *Henrici* subseruiuisse, ita promerente eius pœnitudine, ne quid deinceps luendum superesset. Adhuc verò diligenter notat, in *ostenso Sanctorum Senatu*, non ipsum respondisse *Heribertum*, neque accusâsse *Imperatorem*, cui viuens, memor Euangelici præcepti, totum ex corde dimiserat; sed ne quid vel modicissimum noxæ maneret, vnde ampliata causa in ius aliquando indistrictum ambulare cogeret, oblatum id genus iudicij simulacrum, bellè iuuisse adsopiendam pijs operibus inflexibilem cognitionem.

IV. Contigit autem *dicta visio*, non *vigesimo primo*, vt non nemo falsus, sed *vigesimo secundo* supra *millesimum* Salutis *anno*, qui etiam *Heriberti* migratione *decimâ sextâ Martij* signatâ, celebris habetur; ne alioqui *Henrici Imperatoris*

excessum,

excessum, *anno vigesimo quarto, Iulij decimâ quartâ* decretum, prædictio *Sancti viri* non adæquet.

a. *In Herib.*

Capvt XXVI.

Henricus in Italiam ducens, in itinere Romualdum Eremitam accersit, & ab eo monita Salutis audit. Pandulphum Principem Capuanum capit; Pleráque à Græcis capta recuperat. Troiam obsidione cingit.

I. HEnricus Imperator legationibus *Northmannorum*, atque etiam iteratâ *Benedicti Pontificis* cohortatione excitatus, *Melo* præterea *Duce*, secundò ad eum profecto, & pro patria Legationi immortuo, veritus ne amissâ iam *Apuliâ*, tota *Italia* cum *Orbis Capite Roma, Græcorum* incrementis periclitaretur; in *Italiam*, potenti hostibus tremendus exercitu, contendit. Vbi *Alpes* transcendit diuisis copijs, vndecim millia *Popponi Treuirensi* in *Marsos* ituro attribuit: *Piligrinum Coloniensem*, qui *Heriberto* successerat, cum viginti millibus ad *Pandulphum Capuanum Principem*, vnáque *Arnulphum Cassinensem Abbatem* intercipiendum, quòd *Græcorum* partibus studerent, rectâ *Romam* pergere iubet: Ipse cum reliquo exercitu lentiùs mouet. Et cũ in mentem venisset *Romual-*

di Eremitæ, iam olim à congreſſu cum *Otthone Cæſare* ſibi noti, & æſtimati; vt aliàs *Odilonis* amore *Cluniacum* ex itinere diuertit, ita ad hunc miſit, qui rogatum adducerent, eius videndi & alloquendi deſiderio ſanctè flagrans.

II. Venienti in conſpectum protinus aſſurgens, & hominem Dei tenerrimè amplexus: *O vtinam mi Pater*, inquit, *liceret animæ meæ in corpus tuum immigrare, certus ſum eam optimè habituram.* Mox aſſidere, & ſalutis monita edere rogato, cupientiſſimas præbuit aures, audiítque *Regÿ muneris capita*; *Eccleſiarum iura libertatémque tueri, leges condere Reipublicæ vtiles; & eas æquo in omnes imperio, ne ſcelera auro tecta Innocentiæ nomen ferant, vlláque ex fortunis cauſa æſtimetur.* Quæ ſi ſeruâſſet *Imperator*, bono eius futurum, vt virtus, & modeſtia nunquam ſit fraudi & noxæ humilibus, nec pro iure ſuffragentur vires potentibus, adeóque ſplendida crimina Iudicum lumina perſtringant, improbitatem non emolumento, ſed ſupplicio conſequente. Ita etiam fore, vt nomen *Imperatoris* dignè coram Deo gerat, poſteríſque exemplum graue relinquat, non diſſimulatores & complices eſſe criminis, ſed oculatos vbi opus, clementiâ non errante, in omnium delicta vindices.

III. Placuit *Henrico* libera cum ſyncerita te oratio, eámque *Montis Amiati Monaſterio* illi contributo remunerat; quod vt à *Cæſare* impetraret diſcipulis antea rogantibus, vltrò futu-

rum

rum ipſe prædixit; Ita *Romualdus*, poſtquam eius precibus ſalutem ſuam, & Reipublicæ *Imperator* commendâſſet, non inhonoratus receſſit, *Palatinis* deducentibus, qui ſuo, *Cæſarísque* iudicio virum Dei æſtimantes, quaquâ iret cernui venerati ſunt, quidam etiam piâ violentiâ veſtis detritæ lacinias religionis cauſâ excerpentes.

IV. Interim occupatâ *Cæſaris* aduentu terrore *Italiâ*, *Arnulphus Abbas Caſſinenſis Hydruntum* euadit, *Conſtantinopolim* ſi poſſit petiturus. Hîc Ciuitatis *Epiſcopus* à *Beato Benedicto* per viſum doctus eſt, moneret *Abbatem* ne ſe mari committeret, certum naufragij, niſi paruiſſet. Ille fugâ præ ſomnijs, vt dicere amabat, habitâ; è portu ſoluit, nec multò pôſt coortâ tempeſtate, fluctibus hauſtus perijt. (*a*) Quod cùm Imperatori nuntiatum fuiſſet, dixiſſe fertur: *Lacum aperuit & effodit eum, incidit in foueam quam fecit.* (*b*) Ne *Pandulphus* ſimili conſilio eluderet, *Piligrinus* quantis potuit itineribus *Capuam* acceſſit, eámque obſidione cinxit, haud inuitis ciuibus, ex inuiſi Principis deiectione libertatem quærentibus, quam ipſe nuper, vt diximus, miſſis Vrbis ſuæ clauibus, *Græcorum Imperatori* vendiderat, ciuium ſuorum capita fortunáſque ſuperbo Imperio ſubijciens; vt hoc propter nullâ ei ſe religione obſtrictos rerentur. *Pandulphus* compertâ ſeditione populari, ne occuparetur, ipſe præoccupat, & dede-

re se, quàm dedi mauolens, egressus ad *Piligrinum*, dicendæ apud *Imperatorem* causæ potestatem impetrat.

V. Is iam in *Beneuentana* regione, postquam non procul *Salerno Græcos* acie profligâsset, expugnatis recuperatísque ciuitatibus & castris vniuersis, quæ illi abstraxerant, ad *Troiã Apuliæ Vrbem*, quò olim loco *Hannibal Carthaginensis*, castra metatus obsidionem designabat; cùm in conspectum eius adductus *Pandulphus*, multísque auditus, causam non probauit, perfidiâ patrocinium abnuente, quod longè atrocioribus factis, vix vt obduci possent, vulnerârat. Quare omnibus in eius damnationem incumbentibus, *Piligrinus* intercessit, suâ referre testatus, ne voluntaria deditio fraudi fieret. (*c*) Ita sontem, noxæ capitis exemit, sed ferro onerandum, & in *Germaniam* deportandum, quod *Pandulphus* summæ *Imperatoris* clementiæ adscripsit, tempore leniendæ, si aduersantium criminationes deferbuissent.

a. *Leo Ostiensis, lib. 2. cap. 20.* b. *Psal. 7.* c. *Glaber. lib. 3. cap. 1.*

CAPVT XXVII.

Troiæ ad contemptum vsq; pertinacis excidium iratus decernit; Ne miles exequatur, supplicibus Infantum lacrymis condonat.

I. MVniuerant *Troiam Græci* paulò antea insigni

insigni opere, præsagi vel huic vni Vrbi capiendæ *Henricum* neruos omnes intenturum; eámque solam *Cæsaris* vires elusuram superbè iactabant, vel si *Asiana Troia, Græcorum* scilicet virtute expugnatæ, durâsset obsidionem. Insolentes maximè efferebat auxiliorum fiducia, quæ propediem *Constantinopoli* ingentia cum *Basilio Imperatore*, vel deficiente maris spatio, aduolatura variè prædicabant; tanto *Henrici* contemptu, vt dicere non vererentur, breuì se illum, ad *Imperatoris* sui *Basilij* pedes supplicem visuros. Hanc præsidentiam inflabat successus nocturnæ eruptionis, quâ machinas *Henrici* Vrbem infestantes, igne Græco corrupêre.

II. Verùm vbi non instauratas modò, verùm etiam crudo contectas corio, à flammarum iniuria fuissent admirati, nostris, plures id genus se habere *equos Troianos* ludo improperantibus, quibus fatalem *Troiam* expugnarent, animis euiluêre, quòd maximè in *tertium quartúmue mensem* extractâ obsidione, suppetiæ nullæ vsquam apparerent. Itaque consilium à necessitate & ingenio mutuati, deditionem non legibus belli vulgaribus, sed noua & memorabili decernunt arte, planè idoneâ, nedum innatæ *Cæsaris clementia*, verum etiam exulceratæ indignationi mitigandæ, quâ edixerat, *Troiâ captâ, quicquid masculini sexûs inesset, patibulis suffigendum, reliquum genus nullo discrimine igne cremandum, mœnia deniq; solo æquanda.*

Ergo

III. Ergo *Puerorum imbelle agmen* promiscuum, quantum totâ Vrbe potuit, sub signa pietatis cogunt. Huic *Solitarium hominem*, ipso vultûs squalore & canitie incultâ venerandum, præficiunt, *vexillóque Crucis* armatum, præire in castra *Cæsaris* iubent, oratione *Pueris* Legatis conueniente, quâ iratus etiam Deus à Fidelibus flecti solet; eáque pium pectus indignantis *Imperatoris* planè expugnandum sibi persuadent. Itum ordine, discretis ætatulis, vt minutuli maiorum dextris innexi, non æquos gressus tenerè figerent, cadere & plorare, quàm gradiri & orare doctiores. Cùm primùm eò ventum est, vnde exaudiri balbutientia ora poterant, plorabile *KYRIEELEISON*; inter singultus & lacrymas confusis & tertiatis vocibus, *totis castris* ingeminant. Primæ, in *Cæsaris* acie bellaces turmæ ad spectaculum animis colliquescere: Vbi verò sonus *Cæsaris* aures, & ad contuendum exciti, voces vtcunque articulatæ pectus pulsâssent, gestus supplicantis infantiæ, nocendi rudes, conspicatus, omni protinus indignatione exarmatus, temperare sibi à lacrymis non valuit; & altè suspirans: *Ecquo*, inquit, *vultu sanguinem horum feram, quorum lacrymas videre non sustineo? in hos ego ferrum stringam? aut potiùs infantium manibus parentum supplicia stabiliam? Testor Deum, quicquid huius innocentulæ ætatis perierit, parentum scelere peritûrum. Sed num quibus vitam debent, pro ijs mortem oppetent innocentes, vt*

scele-

sceleſtiſſimi illi viuant? quin potius *moriantur illi, ſeruentur iſti*, & ex his reliquijs noua *Troia conſurgat, quæ veteris fortunam non ferat. Sed enim hi non pro ſua, quam æſtimare minimè norunt, ſed pro ſalute parentum orant: ſi nihil impetrent, quî funeribus parentum ſupererunt, in quibus viuunt? magis quàm parentes in ipſis, qui tam perfidâ hactenus pertinaciâ, de natorum perditione plus, quàm de ſalute cogitârunt, & tamen horum lacrymis nunc ſuam fortunam morte digniſſimi eunt ſtabilitum.*

IV. Hæc dicens, interim ſubmoueri *miſeros Legatos* iubet, indignantiori ſimilis, vt tamen flecti poſſe crederetur, & quos expugnatum veniſſet, docere expugnare. Poterat enimuerò *Filijs* retentis *parentes* ad deditionem, longè fortioribus quàm bellicis machinis adigere: vel ſi pugnandum erat, primâ acie feriendos *parentibus* obijcere: num iſti in *natos ſuos, viſcera ſua*, ferrum ſtrinxiſſent potiùs, quàm Vrbem fortunásque ſuas dedidiſſent, ſi *parentes*, ſi *homines* ſe eſſe agnouiſſent? Quod *Troiani* callidè & verſutè ad animum vertentes, aut victum *Cæſarem*, aut certè hoc, non alio meliori modo vincendum probè certi, poſtridie ſummo diluculo *eandem aciem* inſtruunt, & *totis caſtris* idem *claſſicum*, ſed longè flebiliùs incinere iubent, nec deſiſtere, donec vincant. Quid multa? Victus *Imperator humanitatis* affectu è tentorijs prodit, & lacrymatus in illam Chriſti vocem erumpit. *Miſereor ſuper turbam.* Mox accerſitos puſillos

blan-

blandiùs affatus, *Ite*, inquit, *renuntiate ſalutem parentibus veſtris, quam ipſi vobis acceptam æternùm debent; vt tamen ſuccedant, & imperata capeſſant.*

V. Rediêre ad Vrbem citiùs quàm inde prodijſſent, & ſalute ſuis nuntiatâ, quid *Imperator* iuberet inter gaudia & plauſus confuſis vocibus edunt. Nec mora, egreſſi Ordine *Magiſtratus*, & primores *Ciuium*, corámque prouoluti veniam perfidiæ deprecantur. Quibus poſt ſeriam admonitionem duriùs nihil, tantùm vt partem muri, quæ machinis *Cæſarianis* aduerſa ſteterat, deijcerent, imperatum. Id cùm ipſi ſtrenuè obedientérque feciſſent, iterum in conſpectum *Cæſaris* admiſſi, probatáque obedientiâ excepti, reficiendorum mœnium poteſtatem accipiunt; vnáque monentur, *meminiſſent facti, non exemplo perfidiæ, ſed deteſtatione ſceleris, poſteris tradendi, & quâ Cæſaris indulgentiâ ſalutem perditam recepiſſent.* Sic tum res *Troiana* moribus Infantum ſtetit; dignis qui prærogatiuæ puerorum anniuerſariam memoriam facerent, qualem maſcula quondam virtus *Matronarum Miſnenſium* conſtituit.

VI. Hîc mirare Lector, non quâ arte *Græci* veniam ex pectore *Cæſaris* exſculpſerint; neque enim in ſubitis maius eſt, quàm in neceſſarijs caſibus ingenium; ſed quâ virtute *Cæſar* ipſe tot opprobrijs prouocatus ad iram, poſt obfirmatum excindendæ Vrbis propoſitum, ne indi-

gnatio-

gnationi indulgeret, à se ipso *Victoriam* sui impetrârit, quam ipsa continuò deditio Vrbis secuta est. Legimus enimuerò non semel, huiusmodi supplicum preces, post *irritatos* quod aiunt *crabrones*, nihilum profecisse, iure etiam naturæ nedum gentium more post habito, nulla vt ætatis, sexûs, & innocentiæ causa fauorabilis esset, vbi *Victoris ira* arbitraretur. Ita nimirum de *Henrico Cæsare*, si de vllo alio constanter affirmatur: *Qui seipsum vincit, expugnatore Vrbium fortiorem esse.*

VII. Sunt, (*a*) qui *Benedictum Pontificem*, cuius maximè causa agebatur, huic obsidioni interfuisse velint, eiusdémque suasu & impulsu, in plerisque etiam arbitrio, multa fecisse *Henricum*. Ceterùm re bene gestâ *Cæsar*, *victoriæ* monumentum non longè statuit, *Ædem Matri Virgini sacram*; exemplóque maiorum, ad *Diui Michaelis Archangeli* in *Monte Gargano* peregrinationem suscipit, Rerum Domino, beneficiorum anathema positurus.

a. *Albert. Cranz. lib. 4. Sax. c. 31.*

CAPVT XXVIII.

Henrici Imperatoris ad Montem Garganum peregrinatio, & reliqua euenta, vnde cognomentum Claudi tulisse perhibetur.

I. AD *Montem Garganum*, *Orbem* prope mo-

pemodum *Christianum* religionis causâ affluere solitum, celebres testantur Historiæ, vt hîc votis Deo factis, fauorabilem haberent *Principis Angelorum*, cui *sacer* est, intercessionem; donec Sacrosancta *Reginæ Angelorum* Domus, in qua Filius Dei mundum aduentu suo consecrare dignatus est, in *Italiam Angelorum ministerio* transuecta, eam totius *Orbis* beneficio consecrâsset, perpetuæque Religionis domicilium, & gratiarum promptuarium constituisset. Vetus ergo *Montis Gargani* religio, quæ antrum ingenti, notissimóque prodigio *Archiduci Angelorum* sacrauerat, innumeros gentium, sed etiam *Summos Principes* exciebat ad venerationem, certo illic & familiari cœlituum commercio frequentatam, vt plerosq; non adorandi solùm cupido incesseret, sed etiam aspiciendi penetralis præsenti Numine pleni, & opertanei ritûs obseruandi, quem à cœlitibus obiri fama erat, tametsi paucis & rarò admissis, ceteri vt profani ingressu arcerentur.

II. Vbi porrò accessisset *Henricus*, id eius honori datum, vt omnibus alijs exclusis ab Æditimis intromissus, Deo in sacro recessu vacaret. (*a*) Aiunt continuatis precibus, copiosis lacrymis pulsâsse diuinam Clementiam, interuentu *Principis Angelorum* propitiandam; deinde etiam mente raptum, vidisse multitudinem *Angelorum* splendido agmine Templum ingredientium; ex quibus vbi duo primùm *sacram*

Aram

Aram decenter instruxissent mox subsecutas virtutum copias ornatissimas, *Principi* suo *Michaëli* præiuisse; deniquè *Regem Angelorum Dominum*, obsequio cœlestis exercitûs deducente cōparuisse, quem cum reliquus Chorus accurrens cernuus adorâsset, tum *solenne Officium* inchoatum. Vbi ventum est ad *Euangelium*, eo decantato, fuisse vnum aliquem ex *præcipuis Angelorum*, qui *sacrum Codicem Regi* deosculandum, reuerenter admouerer, eundem vt *Henrico*, in angulo latenti pariter offerret, innuisse. Quod cùm fieret, pauenti illi, & ad tantum gloriæ spectaculum contremiscenti, *Macte*, inquit, *Angelus, virtute, Electe Dei, & hanc tesseram gratiarũ, pacisque donum, à cœlesti Rege missum magno animo suscipe, certus tua studia eidem placere, vtque placeant in posterum, Cœli fauorem adfuturum*. (*b*) Audijsse *Henricum* ad tantam voluptatem animo liquescentem, vnáque leui brachio perstringi sibi *femur* sensisse, nunquam vt deinceps rectè ambulârit, ex eóque nomen *Claudi* vulgò tulerit, sed iucundissimâ semper rei memoriâ, quòd diuinis interfuisset; neque vt olim *Iacob* ex lucta, sed ex pace accepta claudicaret, constanti vtique argumento; rectâ tendentem ad æterna, non posse erga caduca nisi claudum esse.

III. Alij non id euenisse *Henrico* ad Montem *Garganum*, sed Romæ ad *Diuæ Mariæ Maioris*, pronè affirmant. (*c*) Hìc nempe cùm in

vrbe moraretur, paucis arbitris, vota precésque coram *Virgine*, quam exemplo quondam *Ioannis* Patritij heredem scripserat, fundere solitum, insigni pietate cœlitùs pensatam sensisse pietatem. Vidit nimirum extra se positus *Christum*, habitu & Maiestate Pontificiâ Sacris operantem, *Laurentio* & *Vincentio Martyribus* ministrantibus; auscultante *Deiparâ* cum Choro Virginum; *Petro* & *Paulo* cum *Apostolis*; *Stephano* cum sui generis agmine; denique *Martino* cum cœtu Confessorum, *Angelis* autem miro discrimine harmonicè modulantibus. Decantato *Euangelio*, vbi post *Christum Virgo Mater* oscula *sacro Codici* libâsset, eundem vt *Henrico Angelus* offerret his dictis mandâsse. *Dic Imperatori, amari se à me virginitatis, quam colit gratiâ, nunquam non fauorabili, dum vltrò in bene cœptis, Nato meo fauente, proficere studeat.* Paruit *Angelus*, & impressum leui *femoris* tactu *Signum* reliquit. Vnde *Henricus* diu attonitus, nunquam deinde factum, quod voluisset, gressu *claudicante* celare potuit, noménque inde accepit.

IV. Hæc de *Henrico* variâ narratione, neque ideo improbandâ, tradunt Scriptores nonnulli, non quidem illi antiquissimi, sed qui viris sapientibus non omnino videantur contemnendi. *Carion* Nouator, & ex ipso reliqui id genus assecłæ, diuersam longè cognomenti *Claudi* causam reddunt. Ingressum nimirum in *Italiam Cæsarem*, victo atq; etiam trucidato ma-

ximis duobus prœlijs *Harduino*, captum nihilominus & custoditum, cùm deceptis custodibus elapsus de muro præcipitâsset, luxato femore postea claudicâsse. Ceterùm vt hæc figmenta sunt, ita falsò asseritur hoc tempore & bello trucidatus *Harduinus*; quando is post vexatam sæpius *Henrico* absente *Italiam*, tandem *Archiepiscopi Mediolanensis* armis, felicibus *Henrici* auspicijs captis, fractus, eò adductus est, vt vltrò honoris vsurpati insignia poneret, *Monachúmque* in *Fructeriensi*, *Agri Taurinatum*, *Cœnobio* indueret, laudabilior futurus, si ad hunc quietis portum rebus integris, non iactu facto miser, appulisset.

V. Alij (*d*) si non in obsidione *Troiana* læsum, certè in aliqua *Italicarum* expeditionum, captum ab hostibus dicunt, sed illusisse ijs, qui cœperant, vt ex arce quâ detinebatur desiliens coxam offenderit; vnde per reliquum tempus claudicârit. Accidisse id non nemo arbitrari mauult, (*e*) cùm *Papiæ* in Palatio inclusus, concitatum in se populi tumultum, magno suo periculo sedauit, nam vt ex Arce elaberetur, vel infami carcere clauderetur, difficile creditu putat. Sed enim in loco diximus, *Heriberti Coloniensis* obiectu, *Henricum* in palatio se continuisse, & à vulnere immunem postea recessisse, vix enim iratus miles, nisi excisâ funditus vrbe, ciuiúmque omnium sanguine ad guttam hausto, sibi temperâsset, si *Imperatorem* suum vul-

neratum, vel quouis hostili facto deformatum conspexisset.

VI. Alij certum habent, *(f)* id vitium non in Antro *Gargano*, aut in *Romana Deipara Æde*, beatæ cuiusuis manûs contactu traxisse *Henricum*: sed neque vllo *Italico* bello captum, atque Vrbe vel Arce custoditum, cùm se saltu librâsset, quod sine idoneo teste dicitur, crus coxámue fregisse. Aiunt verò potiorem apud se esse fidem. *(g) Membranarum Fuldensium*, quę primis *Regni* exordijs, cùm se venatu exerceret, sauciatum ferunt incursu feræ, & quod *grallâ* debilem incessum iuuaret, *Grallatorem* priùs dictum, deinde verò permanente vitio maiore similitudine, non amplius *grallis* sed *Scipioni* innixum, *claudicâsse* deinceps, tradunt.

VII. Illa de *Gargani Montis* antro narratio *Nonnosij Monachi* est, quem secutus *Nauclerus*, plures deinde recentiores ad classem traxit. Antiqua sat fides *Nonnosij*, sed neminem qui tricetur, adstrinxerit, *Henricum* non naturæ vitio *claudicâsse* dubio procul est: cuius rei illustre hodiéque cernitur monumentum, *lapidea Imperatoris statua*, sinistro pedi dextro breuiori, supposito arte lapillo. *Apographum Bambergense* eandem historiam ex fide dignis ita religiosè memorat, vt malit abstinere, quàm ficta vel friuola de *Sanctis* vulgare, quibus non egent, quorum virtutes tot alijs signis & prodigijs sunt contestatæ. Quamquam si meritis *Henrici* pro-

ba

bà fides narrantium velificetur, nihilum vetat, euenisse ei, quod longè postea adoleſcenti *Angelico Thomæ Aquinati*, vt plures mittamus, quãdo ſi magna laus eſt cœlibatûs, aut Virginitatis in adoleſcentia, nondum voto conceptæ, certè miraculo ſimile ſit integritatis, in blando diuturnóque coniugio conſeruatæ.

a. *Apogr. Bamberg. apud Gretſ. in cap. 22. vitæ S. Henr.* b. *Andr. Bruner. lib. 9. Boic.* c. *Gabr. Flamma l. 3. vit. SS. in Not. ad S. Chun. g.* d. *Albert. Cranz. l. 4. Sax. c. 32.* e. *Mart. Hoffman. in Annal Bamb.* f. *Brunner.* g. *Chriſt. Brouer. Antiq. Fuld. l. 3. c. 15.*

CAPVT XXIX.

Henricus, rebus in Apulia compoſitis, ad Monaſterium Caſsinenſe cum Benedicto Pontifice venit; ibidem à calculo miraculosè liberatus, plura dona B. Benedicto confert.

I. APuliâ pacatâ (*a*) *Capuæ Principatum Pandulpho Theanenſi Comiti* tradit, *Stephano* autem *Melo* & *Petro*, defuncti *Meli* nepotibus, quia amiſſas fortunas recuperare nondum licuit, Comitatûs honorem concedit, adiunctis viginti quatuor Northmannorum fortiſſimis viris, quorum conſilio & operâ, ſi quid aduerſi ingruiſſet, vterentur. Ex his præ-

cipui *Giſelbertus*, *Stigandus*, *Torſtanus*, *Beltas*, *Gualterius de Cauoſa* & *Hugo*, ductores copiarum erant; reliqui horum auxiliares. *Rudolphum* reuidendæ amore patriæ miſſionem petentem, ſociósque eiuſdem, regijs muneribus honoratos dimittit. Rectà deinde vnâ cum *Benedicto Pontifice* ad *Caſſinenſe Monaſterium* ſe confert, nouíque *Abbatis Theobaldi* inaugurationi adeſt, admiratus virtutem *Ioannis* præceſſoris, non vitâ ſed munere functi, quòd abdicatâ dignitate in eremum diſceſſiſſet: reuocatúſque inde vt regere pergeret, decrepitam ætatem in ſpecie *Summo Pontifici* obtendens, reuerâ quietem prætulit.

II. Hîc dum aliquandiu moratur *Cæſar*, ſanctitate loci delectatus, atque etiam horrore quodam ſacro, vt ipſe dicere ſolebat, perfuſus, venerabatur præſens Oratorium, quod vt olim *Maieſtas Domini*, *Templum Dei*, ita *ſanctitas Benedicti* impleuiſſe ferebatur. Vnâ tamen cogitatione anxius æſtuabat, quòd exportatas inde *ſacras* eius *exuuias*, vt fama prodebat, non in ſuo loco liceret oculis inſpicere, oſculis venerari. Quæ dubitatio illuſtri ſanè miraculo occaſionem præbuit. Nam cùm *laterum renúmque doloribus* conflictatus, *medicas artes* fruſtrà periclitatus fuiſſet, *Benedictus* nocte quâdam iacenti aſpectabilem ſe exhibuit, & languoris cauſam quæſitum, vbi is, acri quodam ſenſu præſentis mali, aperuiſſet, bono animo eſſe iuſſit; vnáque

nomen

nomen suum familiari alloquio, non vt aliàs torue & minaciter pandens, vetuit amplius de tumulo suo, & ossibus isthic cubantibus ambigere. Ac vt fidem faceret; *Cùm*, inquit, *primo mane surrexeris, lapillos tres grandiusculos egerens, nunquam in posterum dolore calculi torqueberis.*

III. Dicti veritatem euentus affirmauit; Euigilans quippe Imperator, integrè se valere sensit, & continuò *Deo in Sancto suo* mirabili, gratias ingentes retulit: neque solùm, sed adultâ iam horâ matutinâ Conuentum Fratrum ingressus, & stupentibus de vegeto incessu eius, quem pridie penè extremè languentem reliquissent, totus lætitiâ gestiens & exultans. *Quid,* inquit, *Domini mei dare iubetis Medico, qui me curauit?* Illis vicissim gratulantibus, & tanti *Medici* operam supra preciũ æstimantibus, conuênit præ gaudio, vt quicquid rerum Monasterij esset, dum soluendo suppeteret, vltrò offerretur. *Non ita*, inquit, *fiet, sed quoniam me Sanctus Pater Benedictus hac nocte curauit, non ex eius bonis, sed de nostra substantia tanto Patri facienda est retributio.* Tum mixtis gaudio lacrymis; quid de nocte vidisset, audijsset, exposuit; ostentatísque palàm calculis, certò certiorem se esse contestatus est, de *reliquijs Sancti Patris, sororísque Scholastica* extra *Cassinum* haud quærendis. Fecítque in posterum ardentiùs, vt quicquid narrationis scriptum de *translatione sacri pignoris* offendisset, conceptum flammis exuri iuberet, argu-

mento suæ sospitatis fidem omnibus faciens, nihil vt ei iucundiùs esset, quàm inter *Proceres*, captatâ vltrò occasione tantæ rei meminisse.

IV. Omnibus porrò in Conuentu *Cassini* inter lætitiam & stuporem in laudes Dei effusis; *Henricus* eodem die sospiti suo, *regia soteria* persoluit, Textum *Euangelij* auro mero, lapidibus pretiosis variegato opertum, literis intus perpictis, aureisque figuris mirificè ornatum: *Calicem cum patena aureum, gemmis item & margaritis* raro artificio cœlatum. Nec pauca alia, quæ non meliùs, quàm ipsis *Leonis Ostiensis* verbis enotari possunt. *Planetam* nimirum *diapistim lineis aureis ornatam, stolam, manipulum & cingulum, singula intexta auro. Pluuiale diasprum cum phrygijs aureis, tunicam eiusdem operis, auro interstinctas, cum mappula similiter auro decorata. Situlam insuper & pateram argenteam magni ponderis, vnde Fratres in præcipuis festiuitatibus biberent.* Redemit *etiam à Iudæis vestem Altaris S. Benedicti, quæ quondam fuerat Caroli Regis, quam illi pro quingentis aureis sub pignore tenebant: & argenteum Calicem Saxonicum maiorem, cum patena sua, quem Theodoricus Saxonum Rex dudum Sancto Benedicto transmiserat. Hæc pariter omnia præsentibus Fratribus super Altare Beati Benedicti obtulit, ac Domnum Apostolicum, vt hæc scripti sui authoritate firmaret, orauit; Apostolici anathematis pœnâ propositâ, si quis vnquam vel ea quæ diximus, vel quæ ipse Imperator antea Monachis con-*

cesse-

gesserat, violare præsumeret. Hucusque Ostiensis.

V. Nec defuit suis partibus *Benedictus Pontifex*, ob sospitatem *Imperatoris* amici gauisus, eáque gratiâ *Beato Benedicto*, *planetam aureis phrygijs decenter ornatam*, cum *stola* & *manipulo* obtulit. Cuius exemplum secutus *Piligrinus Coloniensis*, & *ipse planetam purpuream* acu pictam, duodecim mensium signis in limbo intextis, *Pluuiale* item *Stolámque* auro vndulantem, beneficio *Cæsari* impensô, donum reposuit. Ceterùm, suâ munificentiâ non contentus *Henricus*, alterâ die *Arcem Venteæ* latronibus eiectis, qui inde *Fratres* infestabant, *Monasterio* vendicauit, neque hanc duntaxat donationem, sed quicduid vnquam & vsquam præcessores sui Beato *Benedicto* contulissent, sua Imperiali authoritate tabellis ac Diualibus recentioribus confirmauit. Sic demum benedictione Fratrũ perceptâ, postquam se & Imperium religiosè precibus eorum commendâsset, recessit.

a. *Glaber. l.2. c.1. Leo Ostiens. l.2. c.42. 43.*

CAPVT XXX.

Henrici Imperatoris in Germaniam reditus, pietas in exercitum pestilentiâ correptum. Concilium Salegunstadiense. Congressus cum Roberto Rege Franciæ, & mutui officij amorisque concertatio.

I. RElicto *Cassino* cum *Benedicto Pontifice*

in *Vrbem* profectus *Henricus*, paucis diebus moratus est, desiderio suorum crebris nuntijs interpellatus. Salutatis proinde *liminibus Apostolorum, & sacris urbis locis*, à *Benedicti Pontificis* amplexu, quem se non ampliùs inter mortales visurũ præsagiebat, non sine lacrymis auulsus, iter *Florentiam* versùs intendit; Hîc quoque Religionis suæ, ob pacatam *Italiam* monumentum positurus, *Templum* Sanctæ *TRINITATIS*, quod iuxta vrbis *Florentiæ* mœnia, arduo in colle speciosissimum visebatur, construxit, nec vllum celebriorem locum suâ liberalitate vacuum prætermisit, vbique *Principibus Italiæ* sui desiderio, & *Sancti Imperatoris* nomine relicto, à quibus etiam vltra *Alpes* magno honore deductus, *Germaniæ* suæ redditus est.

II. *Triumphales plausus*, quos reduci *Germania* destinauerat, *sæua lues per totum exercitum vulgata* interpellauit, tantâ strage, vt *Romani Imperij Corpus*, tot membrorum suorum internecionem, sine dolore memorare nunquam potuerit; eòque acerbiore sensu, quòd qui de hostibus tantâ gloriâ triumphâssent, miseri proiectis armis occumberent. In tanta calamitate, si vnquam, maximè enituit. *(a) Religio pij Cæsaris*, vt qui nunquam educere copias in aciem consueuisset, nisi factâ priùs expiatione delictorum, *sacratissima Eucharistiâ* præmunitas, hîc certè militibus emeritis ad supremum diem prœliarem parandis, omnes numeros Pietatis

absol-

absoluit, diligenter prouidendo, ne quid animi, corporísque curæ antè haberetur; defunctorum manes *peculiaribus* vbique *Sacris* prosequi iubens; & hanc procurationem se suis *Commilitonibus*, & *Fratribus* debere piè affirmans.

III. Secuta est luem æstas, fœdis tempestatibus infamis, perpetuísque cœli fragoribus, & ignibus præter solitum micantibus, mortales affligens, eóque pietati exercendæ, & degeneris vitæ prauitatibus emendatis, Numini propitiando idonea. Sed *Henricus* memor sospitatis in *Cassino* receptæ, inter Tutelares cooptatum *Diuum Benedictum*, præsentibus quoque malis auertendis solicitè quàm potest implorat, eidémque tum veteris beneficij testatione, tum noui impetrandi fiduciâ, regium munus mittit, *Planetam diarhodinam*, *cum Alba*, *Stola*, *Manipulo*, *Cingulo*; quorum precium non *auro*, *gemmis*, *artificio*, quæ inter viliora ornamenta erant, sed *admiratione* curiosè lustrantium magis æstimatum est.

IV. Fugatâ demum pestilitate, serenato cœlo, tempus bello vacuum, *Henricus* *Religioni* dandum ratus, author fuit *Concilij Salegunstadiensis* apud *Moguntiam* celebrandi. In quo cùm plura circa *Oeconomiam Ecclesiasticam* decreta sunt, tum in primis dilatata *ieiuniorum* spatia, diebus ante *natales Baptistæ* quatuordecim anticipatis, interdicto carnis esu; & restricto in *Natalitio Domini Missarum numero*, ne singuli

Sacerdotes trinas excederent, quando non pauci, non hoc die solùm, verùm etiam alijs solennibus, decimam implere quadam religione consueuissent. Et hæc quidem posterior *Sanctio*, authoritate quoque *Romani Pontificis* deinceps obtinuit; illa prior pietati fidelium relicta, paulatim in vsum *Romanæ Ecclesiæ* concessit.

V. Optimum porrò *Regni* & *Religionis* stabilimentum fore *Henricus* existimans, si cum *Principibus Christianis* concordiam & amorem, instar fraterni, coluisset; sui officij esse duxit, omnes amicè ad pacem hortari, ad eámque toto *Orbe Christiano* religiosè seruandam in medium consulere. Ea de causa *Robertum* inprimis *Regem Franciæ*, quem ob similitudinem morum, & Religionis studium, plurimùm amabat, obseruabátque, accedere constituit; non passus commeare sermones, *sed os ad os* allocuturus. Quod is intelligens præuenire sategit, & vltrò ad *Regni* limites, quò iam *Cæsar* peruenerat, aduersùm venit. Locus erat dictus ad *Iuodium*, *Sigeberto* ad *Euasium*, super *Carum amnem*, haud procul inde *Mosæ* illabentem; quæ causa *Glabro* fuit, *Mosam* vt notiorem pro *Caro* subijciendi.

VI. Cùm vtrâque ripâ consedissent, solo flumine dirempti, cunctatio paulisper incessit. Erant enim vtrinq;, quales in aulis esse solent, regiarum aurium obsessores, qui *Maiestatis* imminuendę periculo vtrumque *Principem* absterrebant,

rebant, si alter alteri, quasi honoris & iuris obsequio, se priùs largitus fuisset; proinde rectiùs facturos dictitabant, si nauibus eodem momento agi cæptis, in medium delati flumen colloquerentur; id neutri fraudi, imò ad tuendam *Cæsaris* & *Regis dignitatem* posteris argumento futurum. Sed enim *Imperator*, contemptis huiuscemodi fastûs flabellis, quæ dementiores pessimo publico ferè plerunque ad Iuris statum reuocant; id potiùs sibi contendendum existimauit, ne de virtute quidquam *Roberto* concessisse videretur; primóque diluculo paucis comitantibus transmittens, in *Regis amplexum* & *oscula* inopinatè venit: *Rege* vicissim humiliter gestiente, & præuenientis officium, sui accusatione, magna cum voluptate admirante. *Discant hinc Principes*, inquit Baronius, *multóque magis alij status inferioris homines, quàm vanè, quàm superbè disceptent inter se, vsq; ad internecionem de præcedentia, dum alter alterum supergredi omni conatu laborat.* Quis omnium ex his par virtute & sanctitate, quis potentiâ non impar *Henrico* & *Roberto?*

VII. Vnà deinde, vt erant ambo pij, *Sacro Missæ Officio* auscultantes, vnà pransi lætam duxerunt horam. Mox, vt *Sigebertus* (b) loquiquitur *de statu Ecclesiæ, Regni & Imperij consilia collata.* Interim succedente etiam *Chunigundâ Imperatrice Regis inuisendi gratiâ*, omnia officia integrata, ac tum demum explicatâ *Regiæ Gazâ*

opulen-

opulentiâ, producti centum equi phalerati, loricâ insuper & galeâ decori, velut equitem suum recepturi; ingens, auri, argenti, gemmarumque copia, affirmante comiter *Roberto*, quicquid inde ad se rediturum esset, sui contemptum interpretaturum. Nihilominus *Henricus* nullâ, tametsi magni amoris & amicarum precum violentiâ, à se passus est impetrari, vt præter *librum Euangeliorum, auro gemmísque* opertum, & *Vincentij Martyris Dentem*, nobili thecâ inclusum, quidquam auferret. Sed ne *Chunigunda* quidem, præter inaures elegantiâ & precio decoras, ex omnibus cimelijs aliud excerpsit. Cetera omnia gratiæ *Roberti* relicta.

VIII. Postero die *Rex*, *Cæsaris* exemplum secutus, cum *Episcoporum* comitatu traiecto flumine officium reddidit, omni honorum genere vicissim, & certatim obrutus. Munera sibi inter alia, centum puri auri pondo decreta, eâdem modestiâ repudiauit: Simile verò, quod *Chunegunda*, inaurium par, nec quicquam ampliùs legit, velle se *Imperatricem* imitari, gratè arridendo professus, vt quæ in accipiendo parca fuisset. Nihilominus in *Regis* asseclas, quósque videndi *Cæsaris*, ac vt *Sigebertus* loquitur, *ad demirandam Imperatoriam Maiestatem cupiditas attraxerat*, ea *Henrici liberalitas* enituit, vt *opibus Persarum aut Arabum* (eiusdem *Sigeberti* verbis & fide) *Imperatoris munificentia comparari posset*.

IX. Optimè cogitatis constitutísque, vt pondus accederet, *Romani Pontificis* primo quoque tempore *Papiæ* conueniendi, consilium cœpêre. Id quò minùs succederet, *Pontificis* mors, & verò etiam *Cæsaris* euertit, magno rei Christianæ malo. Quo autem amicitiæ vinculo, quo amoris sensu in *Orbis Christiani* salutem mutuò se deuinxerint *Henricus* & *Robertus*, antequam discessissent, dici non potest. Atq; vtinam posterorum exemplâ *Principum* extarent, quæ inter se pacta firmârunt, quàm syncera, quàm sancta, quàm *Romanæ Ecclesiæ* & *Religioni* proficua! Hoc constat, cùm plures suorum experti fuissent rebelles & infideles, vt his coërcitis *Ecclesiæ Romanæ* fidem & authoritatem paribus armis tuerentur, nec vllâ ratione *hæresibus* aditum fieri permitterent, sanctissimis collatis consilijs in manum conuenisse.

a. *Bonfin. de Reb. Hung. Dec. 2. lib. 1.* b. *Ad ann. 1023.*

Capvt XXXI.

Henricus Concilio Moguntiæ celebrato interest. Eius cum Meinuuerco Paderbornensi familiaritas, excessus in ioco & pœnitentia.

I. Concilium *Moguntiæ* (a) celebratum ex *Episcopis Germaniæ*, seculi decimi, tertio supra vigesimum anno, certum est apud Scripto-

Scriptores, etſi hoc non nemo cum *Salegunſtadienſi*, anno antea habito confundat. Præfuit *Aribo Moguntinus* in vrbe ſua; atque etiam *Imperatorem* inuitauit. Actum inter alia de *Otthone Comite*, aut plectendo, aut in ordinem redigendo; quem *Henricus* ante triennium in Arce ſuâ obſeſſum, & ad deditionem coactum, compeſcuiſſe viſus fuerat, niſi *Irmingardis* vxoris, *mulierum ſuperbiſſimæ*, inſolentiâ recruduiſſet improbitas. Digna res viſa, de qua in medium conſuleretur, quòd præſertim *Pontificum* minas ac diras *Ottho* contempſiſſet. Verùm is de ſuo capite agi certus, reiectâ coniugis impudentiâ, fore ſe in *Patrum*, *Cæſariſque* poteſtate affirmauit. Reliqua *Synodi* huius Acta exciderunt, & tantùm mentio reperitur in rebus geſtis *Gothardi Hildesheimenſis*, qui cœtum illum prodigijs clarus mirificè nobilitauit.

II. Vtebatur his temporibus (*b*) *Henricus Meinuuerco Paderbornenſi Epiſcopo* familiariſſimè, & cùm maximè liberet animum à ſeuerioribus curis laxare, cùm eodem ad *ſales* & *ioca* vſque inſontia deſcendebat. Pauca ex his delibabimus. Conſtituerat aliquando in Ædibus eius pro more patriæ balnea inire, monens ne quid loturo ſibi deeſſe pateretur. *Meinuuercus* ne ſumptum perderet, calidam iucundè ſibi quæſtuoſam fecit. *Oues fœtas* magno numero mactari, agniſque exemptis pelliculas deripi iuſſit; iiſque *talarem ſynthéſin* ſubduci, limbis

duntaxat

duntaxat & oris extimis, ne fucus pateret, mustelarum iugulis circumcinctis. Mox eam *Henrico* iam lauto, ambitioso ministerio subridens iniecit. Aduertit *Henricus* peregrinas commissuras, multóque magis sensit pinguia assumenta, & composito ad seueritatem vultu, huiusmodi *collatitium centonem*, ait, *non Cæsarem decere*, sed inurbanum *Episcopum*. Quid? reddit *Meinuuercus*, *an erubescendum Cæsari sic pellitum incedere, qui Imperij Pastor esset?* Simul exaggeratè lamentatus, quantam ea vestis *ouilibus* suis cladem intulisset, non antè destitit, quàm *Imperator* moribus hominis delectatus, quærimoniam opulento prædio extinxisset.

III. Iterum *Henricus* in *peruigilio Natalitio* crateram vini generosi plenam *Episcopo* mittit, *Pincernam* monens, ne sine auro ad se rediret; *Meinuuercus* accepto dono, dum vrbanis frustrationibus tempus trahit, vocatis artificibus eâdem nocte, *Calicem Aræ* ministerio formare mandat, & basi, *Henrici Imperatoris* nomen *Deo* consecrantis inscribere. *Cæsar* intellectâ *strophâ* volupe probauit eludentis industriam; nihilominus dicis causâ composito cum pocillatore, aliísque socijs mimo, tanquam audacis artificij improbitatem sugillaret, *Episcopum* largum esse de suo iubens, non ex rapto munificentiæ laudem quærere. Vltrò tamen plura facere causato *Meinuuerco* assensit, & suâ manu,

inter primum eius noctis sacrificium Aræ imposuit.

IV. Plura id genus cum *Henrico* exercuit, successu fiduciæ semper suæ rei velificatus; interdum tamen, vt non nisi intercedente ex composito *Imperatrice*, & *Proceribus* patrocinantibus, quasi inuito & subirato *Imperatore* obtineret: interdũ verò ipse destinatam largitionem licet amplam, aspernanti similis, pinguiores bolos *Henrico* hilariore abstulit. Nec semel eiusdẽ *Cimelia* ad *Aras* exornandas expetita, negauit ad Dominum priorem posse reuerti, iam suo vsu Deo sacra. Quo præsertim artificio, aliquando *Pallium Augustale* rari operis pretiique, cùm eblandiri nullis verborum lenocinijs posset, clanculùm sublectum templo asseruit; reposcentíque, negauit æquum videri, *Christum Cæsare* pauperiorem esse, tegíque minùs eleganter. Ita *Henrico* non insuaue fuit, huiusmodi ludo & gratiâ pietatem religionémque exercere, siue cognato sanguini tam prolixè indulgeret, siue notissimum viri candorem, ex illius seculi simplicitate adamaret, vt paribus cum eo *iocis* colluderet.

V. Hinc aliquando ad mensam accumbenti, per angustam laquearis rimulam, tenuem phyliram auro inscriptam demitti ob oculos iubet, quâ moneretur *disponere domui suæ*, veluti quinto die moriturus. Id *Meinuuercus* seriò interpretatus, repentè cogitationes ad æterna

transf.

transmittere, & vasa ad iter faciendum colligere; hoc magis occupato animo, quòd per ædes inambulans, sparsa passim folia complura, in eandem sententiam attonitus legeret, nihílque dubitaret, huiusmodi classico sibi diem obnunciari, cui supremus alter non esset. Quare magis magísque meditatè secum agere, horas omnes, horarúmque partes accuratè subducere, ne quid minimum temporis religione vacuum abiret: arcas omnes excutere, spargere in pauperes mox deferendas opes, nihil sibi, præter detritas in *Sandapilam* tegetes, relinquere; inter vota suspiriáque dies noctésque peruigiles ducere, totius vitæ acta in amaritudine relegere; rerum denique omnium curas præter illam vnam, quam sibi cœlitùs impositam accepisset, negligere.

VI. Sic in quintum vsq; diem, quem decretorium esse credidit, exercitus, atq; huius etiam momentis omnibus exactis, cùm nullâ morbi accessione corpus tentari, sed inediâ duntaxat stomachum vexari sentiret, suspectare fraudem cœpit. Neq; enim se, aut *curru Eliæ* rapiendũ, aut instar *Habacuc* ab *Angelo* deportandum credere poterat; Et iam labente die ausus attollere oculos, & ex pauimento in quo se cõposuerat, præmortuum fame corpus leuare: quod vt reficeret, frigente domus culinâ, cibus è foro allatus est. Postridie in publicũ languens adhuc & emaciatus prodire, stupentibus, qui certò moritu-

rum intellexerant, & rediuiuo salutem gratulantibus: Ipse *Imperator* cum *Proceribus* fabulæ conscijs, obuiam ire, salutare, gaudere mortis comperendinationem fauore Numinis concessam, bono Reipublicę, quando præmaturè mortui desiderium patria latura non erat; ideò votis omnium prolatas ei viuendi metas, cuius vnici capite spes omnium sustentarentur, vt libenter de suis annis addituri sint ad illius æuum, dummodò publico bono diutissimè superstitem conseruent.

VII. Sensit *Meinuuercus* rideri se huiusmodi orationis circumductu, neq; dissimulans impatientiam intempestiui cauilli, eodem die ex ambone Templi in suos sanniones grauibus & concitatis verbis detonuit, qui per iocum & ludum *Episcopum* deridiculo habitum, fortunis & annonâ spoliârint, & penè ad incitas redegerint. Eos proinde, vt quantum facinus in se admisissent, seriò intelligerent, cœtu piorum abstentos, indignos pronunciat, qui sacris profani impiatíque assistant. Id fulmen, vt expectatum minimè fuit, ita *Henricum* totius ludi architectum maximè perculit, vt è vestigio, quæ eius *Modestia*, & aduersùs religiosa imperia reuerentia fuit, cum *Coniuge & collusoribus* suis excesserit, excalceatúsque, & vicem *purpuræ cilicio* squalidus, Episcopi de se arbitria expectârit.

VIII. Qui nihilominus suo foro vsus, durus & inexorabilis, tam luculentis piaculis

ægrè veniam indulſit, donec *Henricus* inſigni liberalitate damna ludicro illata reſarciret. Quæ quidem tanto effuſior, tum in *Meinuuercum*, tum in alios idoneos fuit, quantò certiùs præſagire animo viſus eſt, breui ſibi omnem largiendi præceptum iri facultatem. Quod factum, etſi ex ſpecie quadam noxæ ortum, ita pietatem *Henrici* commendat, vt totius vitæ curriculum hoc vel vno ſanctitatis argumento illuſtrare queat: interpretentur vt velint ſeculi noſtri *Catones* tempora & mores antiquæ ſeueritatis, & erga *Eccleſiæ Prælatos* obſeruantiæ; nihil vſquequaque offendent, quod non ex inſtituto Chriſtiano factum, religionem *Cæſaris* dedeceat, exemplo à maioribus accepto, viciſsímque ad poſteros miſſo.

a. *Ann. 1023.* b. *Andr. Brun. lib. 9. de reb. Boic.*

CAPVT XXXII.

Henricus mortis præſagus, piè ſe diſponit; paulò ante obitum Proceres ad bene beatéque viuendum hortatus, Coniugem Virginem propinquis reddit, & ſanctè expirat.

I. HEnricus neſcio quâ præſenſione migrationis ſuæ præſagus, magis quàm de more, cogitatè ſecum agere cœpit, mentem in æterna defixus, neque tamen abiectâ *Imperij* cu-

rà, quâ potissimùm *Successori* pacatum relinqueret. Incesserat cupido inuisendæ *Hungariæ*, Cognati & *Sororis* causâ sæpius inuitatus; tum vt *Stephano Regi*, quæ cum *Roberto Rege Francorum* anno superiore conuenisset, explicaret; certus quid conferre *Stephani* sanctitas ad religionem posset, in quo etiam *Benedictus Pontifex*, adeóque tota *Ecclesia Romana* plurimùm fiduciæ reposuissent. Dum ad iter se parat, de *Benedicti Pontificis* obitu nuncium accipit: vixisse eum nimirum vigesimâ septimâ Februarij, feriâ sextâ. Non sine lacrymis tulit amici, támque cari Patris decessum, & mandatis vbique exequijs funebribus, Iusta persoluit, eâ etiam religione tactus, quòd *Odilonis Abbatis Cluniacensis* suffragijs expiâsse in flammis diceretur, cùm priùs reconditam alicubi à se pecuniam, (*a*) in pauperes erogare, Successorem in visu monuisset, ídque etiam *Henricum* aduertit, satagendi pietatis dum res & tempus sineret.

II. Mox, *Hungarico* itinere, quod longius abesset, dilato, *Alstedi solemnia Palmarum* egit, triduo pòst *Merseburgi Ferias Maiores*, *Pascha Magdeburgi.* Ita dum alia alijs loca mutat, *Gruonæ* mors exceptura venientem opperitur. Hîc dum per aliquot dies solitæ pietati, cum *Augusta coniuge* impensitis vacat, *colicis doloribus* tentari cœpit. Medici natiuum & penè gentilitium malum suâ periodo finiendum rati, bono animo esse jubent, sed certiora sentientem non

fallunt.

fallunt. Dum extremam sibi hanc esse ægritudinem liberiùs affirmat, rogatus quem *Successorem Imperio* destinaret, mirantibus qui aderant *Conradum Salicum* optat, quem plerique sciſſent exiguâ apud viuentem gratiâ fuiſſe. Certè vel præſagiuit ante alios idoneum, vel obliquè de se merito, offenſam hoc obliterauit officio: eáque sententia vel commendatio præiudicium apud *Electores* fecit.

III. Accedente demum *febre*, tesseram supremi prœlij sibi datam intelligens, *Eucharistico Viatico* spiritum ad iter, *sacráque* ad luctam *Vnctione* perquam religiosissimè, se munit. Tum accersitis vtriusque *Ordinis Proceribus*, quos inter & *Consanguinei Chunegundis* erant, cùm omnes ad *Pietatem* & *Iustitiam* colendam, ad *Regni Tranquillitatem* ex animo procurandam, deniq; ad *Religionis concordiam* cum *Romana Ecclesia* seruandam sanctè hortatus fuisset; conuersus demum ad *Chunegundis Propinquos*, & hanc intuitus, blandéque dexteram dexteræ implicans, & inter lacrymas paucis affatus, obstupescendum seculis omnibus arcanum de *illibata Coniugis pudicitia* cunctis audientibus aperit, séque eidem, & ipsam adstantibus commendans, hoc supremo elogio in manus resignat, (b) *Recipite quam mihi tradidistis Virginem vestram.* Quo dicto oculis sublatis, quasi iam rebus humanis se perfunctum Cœlo innueret, imperterritus Spiritum itinere suo perrecturum placidissi-

me laxauit. Vixit ante *Regnum* annis triginta; *Regno* duodecim & menses quinque, *Imperio* decem, totidémque dies supra menses quatuor; Deo & sibi, annos, si tres, cum diebus viginti, menses demas, tres supra quinquaginta; mortuus anno vndecimi seculi vigesimo quarto, feriâ secundâ. (*c*)

IV. Sic planè *Henricus Imperator* in huius vitæ mortalis theatro personam suam egit, eáque Scenæ vltimæ nobilissimo Actu positâ, perituri *Diadema Regni*, in *æterno Imperio* cum *immarcescibili Virginum aureola* commutauit. Certè si vel *sola virginitas in coniugio seruata*, in rebus ab eo gestis eluceret, dare in admirationem *Orbem terrarum* posset: Hominem in summo fastigio honorum, nullâ posteritatis curâ ad quærendam legitimo thoro sobolem tactum, eáque constantiâ animi supra humana omnia euecti, nec calore ætatis, nec ingenio ad sales & iocos facto, nec circumfluentium illecebrâ voluptatum, flecti ac deprimi potuisse, vt ad concessa legibus omnibus honestissima vota aspiraret, vellétque vnico ferè mortalium, ac præcipuè Potentum desiderio, similem sui, herédemque fortunarum relinquere, & quodammodo in posteris viuere. Planè diuino consilio, quo nôssent mortales; non hîc æternùm viuendum, cogitaréntque nunquam rectiùs propagari genus humanum, quàm si cœlo inseratur. Vt videri queat, *Henricum, hominem* supra *homines*,

ues, & incorruptione *Cœlitem*, eâ potissimùm gratiâ rebus humanis à Deo impositum, quâ millesimus à Christo nato annus, hoc tam raro prodigio insignis, pulcherrimam virtutum ostentaret in *Purpura*, adeóque decimum à Virgine *Puerpera* sæculum, impare quidem miraculo, sed quod nihilominus Deo proximum esse faceret, *Virgines Imperatores* consecrarent.

.V. Vt primùm *Henrici* mors vulgata est, luxit Orbis Christianus, Romana inprimis Ecclesia atque Italia, deinde Gallia, *Roberto* Rege tanti amici occasum altiùs secum retractante. Parentatum vbique regificè, ac vt de Germania nihil dicamus, Hungaria omnis diu ingemuit, *Stephano* Rege cognatum, *Gysela* Reginâ Fratrem lugentibus. *Emerico* auunculum, mox coniugij Virginalis exemplo repræsentandum, suspirante. Nec dubitauit *Stephanus* ei iam inter Diuos opinione omnium translato, se suáque commendare, cuius vitam in terris sanctissimè actam, perspectam habebat: nec pauci metuebant pacem Hungariæ paribus vtrinq; studijs, dum *Henricus* viueret, longe latéque florentem, si non æquo Successor ingenio foret, turbatum iri; quod accidisse alibi memoramus. Domesticus porrò luctus is fuit, quem vrbis Templa, & Tribunalium atrati parietes, Viduarum præterea, Orphanorum & Pauperum omnium, oppressorúmque, imò & sontium in reatu planctus testati sunt, his quidem facilem

ad veniam clementissimum Principem, illis Dominum, Protectorem, Benefactorem, denique Patrem omnium efflictim deplorantibus[c].

a. *Damian. in vit. Odilon. Baron. Tom. XI. ad ann. 1024.* b. *Leo Ostiens. l. 2. c. 47. Baron. Tom. XI. ad an. 1024.* c. *Anno 1024.*

CAPUT XXXIII.

Henricus Bambergæ sepelitur. Fabula de accursu dæmonum ad exequias, & accusatione apud Tribunal Dei, refellitur.

I. POmpa funeris, procul magnorum fastu celeberrima fuit, ductu *mendicorum pauperumque* atratorum: In hos præcipui sumptus facti, deinde in litantes ad Aras, denique in egenorum subsidium; omnia ex viuentis dispositione. Itaque exuuiæ *Gruonâ Bambergam* deportatæ, loco quem designauerat, in *Æde Principis Apostolorum* conditæ, modesto quidem tumulo, sed super Principum Mausolea venerando. Addita epigraphe & insignia, quæ *Cæsarem* ostentent, sed exprimere debebant, *vix alterum primum, vix alterum habiturum sequentem, cui Lilia cum Tædis & Sceptro constarent*: Et hæc quoque iungenda erant, quæ *Virginem* loquerentur, nisi aliud *Innocentiæ* Symbolum, longè quàm *Lilia* aptiùs illibatis exuuis componeretur; *Vomeres* nimirum illi, quos *Pudicitiæ* explorato-

ratores innoxios, sicut olim stupuit, ita secum eodem tumulo claudi iussit, fidei & amoris testes, & qui inextinguendæ facis instar essent maritalis; id etiam cupiente *Chunegunde*, quæ sui monumentum *Virgo* permansura, apud Coniugem esse optabat, maiore etiam erga defunctum caritatis ardore, quàm fuisset vis vrendi in ferro candente.

II. Nondum terræ mandatus, plures habuit mortuus Adoratores quam viuus, signis virtutum coruscantibus. Nec reticent aliqui extortam ex dæmone *Sanctitatis Henrici* confessionem. Nos testem imponere solitum, nec vnquā veri satis idoneum, nec rogamus, nec sponte se offerentem recipimus. Aiunt autem, (a) ipso *Henrici* demorientis momento, visum à Solitario diabolum illac properantem, quæsitúmque quò pergeret, respondisse, *ad exequias Henrici Imperatoris*. Tum ille, *vade, age quantum data à potestate ex alto, licet; iterúmque huc reuertere, explicaturus quid profeceris; sic te per Deum adiuro.* Paruisse dæmonem, nec multò pòst reducem, iniquum tribunal accusâsse. Comparata scilicet facta factis, & expensa ad libellam, cùm initio præponderâssent; adfuisse *ambustum quendam* (cauillo *Martyrem Laurentium* designabat) qui *calice aureo dexteram lancem*, humo vsque afflictam, prægrauaret, ita prodita cum *Iustitia* causâ Orci, foro cedere se coactum esse.

III. Fama est *mirificum* hunc *calicem*, olim

ab *Henrico*, sed priùs flumine *Iordanis* ablutum, *Merseburgensi Ecclesia* donatum; quem postea monstrare soliti sint æditui, alterâ *mancum ansâ*, quam dæmon repulsæ ignominiam vindicaturus, *vngue diuellisset*. Alij præterea *signum facta collisionis* in depresso cum *lance Calice* apparere narrant, eo maiore certitudinis prodigiosæ argumento, quod illo ipso tempore, disceptatâ apud *Album Cœli* causâ *Henrici*, clausus in arca dictus *Calix*, nec hominis manu motus *strepitum allisionis*, sonorum & exinde *conflictum* manifestis rimis prætulisset.

IV. Ita isti, præcone tanti facti dæmone, quasi insolens sit humani generis hostem mentiri, & in eius famam grassari, à quo viuente toties sit triumphatus. Scilicet hanc vnam stipem secũ extulit *Henricus*, alioqui cœlo excludendus; nec illi profuerint, *tot ad Christum Regna* traducta, *tot Episcopatus*, aut erecti incomparabili sumptu, aut certè non minore restituti, *tot Templa*, & his facta *donaria*, *tot Religionis domicilia*, *tot Anathemata* Diuis sacrata; *tot in pauperes & egenos*, ac tam profusæ erogationes, *tot cumulata* omnium virtutum *decora*, *tot labores Romanæ Ecclesiæ*, & *Religionis causâ exantlati*, adita vitæ discrimina, denique *Innocentia vitæ incorruptæ* suprà exemplum, tam sancto artificio ad finem vsque viuendi occultata; eum nedum exemerint reum, sed ne inuenerint quidem. Id qui credat, facilè de omnibus virtutum præsidijs

actum

actum putet, nihil vt in æternitatis foro sint admodum profutura, prono ad nunquam benè agendum incitamento.

V. Sed lubet aliam eius fabellæ narrationẽ attexere, vt quàm gnari sint fingendi, qui imponendo seipsos irretiunt, luculentum euadat. *Solitarium Bonæ Vallis*, (ita eum vocant) cùm in oratione pernoctaret, aiunt vidisse *tumultuarium dæmonum agmen*, incondito fragore properantium; vnúmque ex ijs interpellâsse, quid rei ageretur. Cui ille. *Pergimus ad emorientem Imperatorem.* Tum *Eremitam* ardenter à Deo postulâsse, dignaretur reuelare qualis foret *exitus Imperatoris.* Inde *hora nonâ matutinâ* conspexisse eosdem dæmones, iuxta prætereuntes, *vrsúmque cathenis vinctum* ducentes: & sciscitanti, quid *bestia portenderet*; responsum esse, *Animam Imperatoris hoc reatu trahi ad Dei Tribunal iudicandam.* Iterum verò illum in preces datũ, quò de sententia cognosceret, flagitâsse. Nec vano successu. Quippe sub *vesperam* ijdem *Apparitores* habitu tristi, obiecti retulerũt; *actum fuisse de anima Imperatoris, nisi Abbas quidam vetulus causæ improbandæ adfuisset*, hunc nescio quibus versutijs, reum sibi sacrum asseruisse. Sic *dæmones*, sic qui præterea addunt, *Abbatem* vetulum, interpretatione dicti *Solitarij Diuum Benedictum* fuisse, qui idcirco gratias Deo agens, mox apud *Richardum S. Vitoni* Abbatem, cuius in loco meminimus, manifestatâ visione;

effe-

efficerit, vt preces & largitiones animæ *Henrici* suffragatrices, indiceret. Hæc *fabula*, hic *fucus* & *larua*, quam facilè detraxeris, si animaduertas, nihil hîc *de bilance*, nihil *de calice fracto*, aliísque prodigijs, nihil denique *de Diui Laurentij*, quem dæmon *ambustum* cauillatus est, *patrocinio*; nisi sæpius iudicatum *Henricum* & modò ab vno, modò ab altero vendicatum afferamus.

VI. Si quid rei est, errore nominis obducitur, vbi *Henricus* pro *Henrico* vsurpatur, *Secundus* pro *Tertio*; nam quia *Henricus Auceps* repudiato *Imperatoris* tituló, quibusdam extra seriem est, *Primi* nuncupationem *Henrico Sancto* deferunt, & *Tertium* pro *Secundo* habent; quæ proinde huius esse videntur; illi, qui *Sanctus* est assignant. *(b)* Et verò de *Henrico Tertio* prolixa satis ex vetusto *Cassinensi Chronico* proditur narratio, periclitatum in excessu, & malorum geniorum accursu, non vnius noxæ postulatum, *Diui Laurentij Martyris*, quem impensè colebat, fuisse absolutum interuentu. Quæ verò occasio fuerit subijciendi *Benedictum*, vt *Henricus Sanctus* implicaretur, alij viderint.

a. *Hugo Menard. Obseruat. lib. 1. in Richardo Abb. M. S. Abb. S. Vitoni.* b. *Baron. Tom. XI. ad ann. 1056.*

CAPVT

CAPVT XXXIV.

De Publicis pietatis & Religionis monumentis positis, aliisque pijs operibus ab Henrico gestis.

I. INfinitum opus aggrediamur oportet, si ex publicis tabulis omnia *Henrici* monumenta colligamus; quæ ille per *Imperium* omne, *Italicum* ac *Germanicum*, sed præsertim in *Bauaria* sparsit, *testes suæ pietatis*. Quod enim *Cœnobium* indonatum præterijt? iure merito *Pater Monachorum* appellatus, quorum Frater *voto* erat. Quot *Ecclesias* fundauit, aut collapsas restituit, aut defectas dotauit & ornauit? vt *Godefridus* nihil supra verum axaggerâsse videatur, cùm cecinit:

Catholicas dedit Ecclesias numero quasi mille,
Pauperibus, viduis, spes, via, vita, fuit.

Paucas ex omnibus numeramus, *Bambergensem* inprimis, vbi *Pontificiam Sedem* à fundamentis excitauit, patrimonio quod ab *Otthone* acceperat collato, quando ipse studio Pudoris improlis, *Christum ex asse heredem* scripsit. Deinde *Misnensem in Misnia*, *Merseburgensem & Hildesheimensem in Saxonia*, *Magdeburgensem in Marchia*, *Argentinensem in Alsatia*. Quos, & alios Episcopatus *Pannonum*, *Henedorum*, *Saxonum*, *Alsatarum*, *Slauorum*, aliorúmque *Germaniæ* populorum incursionibus grauissimè afflictos,

flictos, non instaurauit modò, verùm etiam splendidè locupletauit. Innumeræ aliæ sunt priuatæ *Ecclesiæ* quas extruxit, & diuino cultui dicatas, aut *Canonicis* aut *Religiosis* commendauit; *Bambergæ* quidem *Diuæ Virginis*, *Stephani Protomartyris*, *Laurentij* item & *Georgij Martyrum*, alias alibi; Illis si *Bambergæ* addas *Basilicam Principis Apostolorum*, quinque numerabis; exemplo quarum *Stephanus Rex Hungariæ* & *Gysela Regina*, quinque alias optimo *Regni* loco designârunt, atque etiam Vrbi *Quinque Ecclesiarum* vocabulum imposuerunt.

II. Mittimus *Beneuentanum* in *Italia Cœnobium*, *Diuæ Virginis* prope *Salernum*, item ad *Collem Florentinum*, alibi passim alia integra monumenta, quæ tot esse feruntur, quot *Henricus Diuis* peculiari *voto* & *religioso animo* sacer erat. Nam si de illustratis duntaxat, & regiâ munificentiâ ornatis sermo sit, finem numerandi vix facturi sumus. Idque inprimis testificabitur *Romana Ecclesia*, adeóque *Principis Apostolorum Basilica*, *Monasterium* deinde *Cassinense*, & ne ad omnia decurremus, *Cœnobium Cluniacense*: quæ omnia vel tabulis, *Henrici* gemmâ obsignatis, vel Scriptorum illustrium syllabis hodiéque ostentantur. Et plura id genus loquuntur *diplomata*, quæ vni *Godehardo Sancti Mauritij Ratisponæ* & *Monasterij Altahensis Abbati*, prædia sexdecim & villas cum amplissimis agris, donatas attestantur. Neque his, quæ singula

singulis

singulis *Principibus* alendis idonea erant, contentus, *telonium* etiam opulentissimi redditûs *Altahensi*, in vsum *Monachorum* Deo ibidem famulantium transcripsit. Atque hæc ferè omnia, nondum *Imperator* dictus intra paucos, magnam verò partem infra vnum annum, vni præstitit homini; quid de ceteris amplificatâ demum dignitate & opulentiâ censebimus?

III. Extat *Ecclesia S. Henrico Cæsari*, à *Gregorio* quodam Magni nominis viro dicata iuxta *Beneuentum*, paucis, post ipsum inter Cœlites adscriptum, annis; quæ cùm extra muros Ciuitatis *Florentinæ* posita memoretur, plerisque incidit, hanc *Florentiam Etruriæ Vrbem* esse, ignaris oppidi apud *Hirpinos Florentini*, quod hodiéque vulgo *Fiorentino* audit. Hunc errorem nobis exemit *Pyrrhus Aloysius Castellomata*, & genere & eruditione nobilis *Salernitanus*, qui ex libro Oblationum *Monasterij S. Sophiæ Beneuentanæ Vrbis*, (a) fidem nobis fecit Instrumento donationis *Henrici Comitis S. Angeli*, regnante *Alexio Imperatore*, contentam: in quo inter alia. *Et Ecclesiam*, inquit, *S. Catharinæ quæ sita est in loco, qui dicitur* Sereno, *extra* muros Ciuitatis Florentinæ, *cum omnibus suis pertinentijs*, *nec non* Ecclesiam S. Henrici Cæsaris, *quam* Gregorius *ædificasse dicitur*, *quæ esse dicitur in* Telo *nostro loco, qui vadit ad plateam publicam cum omnibus suis pertinentibus*. Hactenus fides Instrumenti. Subit hoc loco *Gregorium* prædictum, sine cogno-

mento, ipsum fuisse *Summum Pontificem Gregorium VIII.* patriâ *Beneuentanum*, qui nondum licet expleto altero mense, magno totius Ecclesiæ sensu ereptus sit, inter alia tamen pietatis officia, quæ nimium afflictis in *Oriente* rebus impendere cœperat, hoc quoque *Templo* memoriæ *Henrici sacro*, piè consuluerit, vt quem paucis antè annis *Eugenius Tertius Sanctorum cultu donârat*, eius patrocinium tanti doloris & calamitatis hæres imploraret. Nec voto pœnitendo, vt postmodum claruit. Id si probè conijcimus, *Imperatorem* quoque *Alexium*, non alium quam cognomento *Angelum* esse oportuit. Is enim haud multò post obitum *Gregorij*, in *Oriente* rerum potitus est.

IV. Nec pauciora fuêre, quæ *Nortunaldensi Ecclesiæ in Eremo*, à *Gunthero nobili Eremita*, aliàs à nobis memorato, primùm in honorem victoriosissimæ *Crucis, Deiparæ Virginis, & Christi Baptistæ* constructæ contulit: vt vulgò iactaretur, *Henricum si seculo superuiuat, totum mundum in Monasterium conuersurum.* Et verò prætereundum non est, eius liberalitatem, vt semper ex ingenita quadam pietate, ita interdum cœlestibus ostentis excitatam; Id *Monasterij Sancti Quirini* in *Tigriense* dotalis fundus hodiéque præfert; quem locum dum aliquando *supplex viseret*, atque *omnes Aras obiret*; in concamerato sacrario, Templi fornici affixo abditum, & repentè liquidis gaudijs perfusum, cœlestes

lestes quoque species mirificè recreârunt; Et creditum est *Principem* quoque *Angelorum*, cuius *in tutela Sacrarium* id erat, pio *Principi* voluptatem affudisse. Quibus is permotus, non modo *VVangeuensem* dotalem *Quirini* fundum, quem *Piligrino Comiti* beneficiario iure possidendum tribuerat, loco restituit, sed errorem insuper suum nouis largitionibus expiauit.

V. Atque hæc est famigerata illa *Quirini Ædes*, quâ non nemo ex scelerum colluuione factus expilatâ, dum oneratum *sacrilegijs equum* ad cursum incitaret, momento *animal in saxum obriguit*, tota viuentis imagine retenta; ex quo dum *Sacrilegus* deruit, æquali sorte in *lapidem* abijt, altero pede nondum ex subice pedaneo exerto. Qui vidit, posteritati scripto tradidit, & ne raritas detraheret, plura id genus prodigia certâ authoritate confirmat: ex quibus hodiéque licet nonnulla oculis vsurpare, indubitata Numinis irati monumenta, pluribus alijs posterorum incuriâ sepultis, ac tantùm fideli traditione constantibus.

VI. Ad *Henricum* redimus. Adeò semper coniunctam *Regno Religionem* existimauit, nihil vt vnquam *Ecclesiasticis, Religiosísque viris petentibus negaret*; hinc *Regni incrementum* & *felicitatem* pendere, sibíque *Coronam immarcescibilem parari* certus, ídque in tabulis donationum, ceu formulâ præscriptâ, vbique præfixit. Ac vt par dignitas & meritum *Chunegundæ* foret, nun-

quam nisi eius interceſſione, conſilio, & hortatu omnia confecta voluit. Iucundum etiam ſpectatu, & vulgi auditu fuit, certâſſe *Henrici Pietatem* cum *Liberalitate Dei*, vt quoties eximij aliquid beneficij accepiſſet, *nouum* alicubi *Templum* condendo, eius teſtandi *memoriam* reponeret.

VII. Huc non immeritò reuocari poteſt, *quindena geſſiſſe bella decretoria*, partim contra *Paganos* & *Infideles*, partim contra *rebelles*, aliósque *Principes Reipublicæ Chriſtianæ tranquillitatem perturbantes*; neq; ex his omnibus niſi ad bonum *Pacis, Religionis* & *Regni Chriſti* proferendi cauſam reſpexiſſe: ideóque ſemper ferè, interdum verò cœlitibus extra ordinem *manifeſto prodigio* auxiliantibus, viciſſe ac triumphâſſe. Idem nimirum & *optimus Imperator*, & *fortiſſimus Bellator*, & *religioſiſſimus Dei Cultor*, vt nec arma officerent religioni, nec armis Religio obijceret impedimentum; quin immò ſuppetias ſibi mutuò ferrent recurrendo perſæpe in periculis ad vota, nec interim bellicum laborem remittendo.

VIII. Adhuc verò ſuper omnem laudem fortaſſe quiſpiam extulerit, *Stephano Rege Hungarorum* cognatione ſibi iuncto, magnam *Hungariæ* partem ad *Chriſti cultum* aut traduxiſſe, aut traductam priùs, confirmâſſe; vtque *Slaui Chriſto* nomen darent *authorem* fuiſſe, *Religioni* propagandæ ſic, vt non aliàs vlli rei maiori cu-

râ studuisse: Denique *rem Christianam* longè latéque protulisse eatenus, vt non tam *Rex* & *Imperator*, quam *Germaniæ* præsertim *Apostolus* & *Doctor* meritò audiatur.

a. *Part. 6. cap. 23.*

CAPVT XXXV.

De illustribus Henrici post mortem patratis Miraculis, & illudentium vel dubitantium pœnis.

I. TOta quidem vita *Henrici* (*a*) in carne supra hominem viuentis miraculum fuit. Sed nos pauca quædam ex ijs, quæ vitâ functus argumenta Sanctitatis edidit, delibabimus, eáque per summa tantùm capita, prolixitate vitatâ. Ab ipso sanè *tumulo* confestim radiare cœpit, & perenni postea virtutum splendore, siue in ipsa *suarum Reliquiarum* translatione, siue non vnâ apparitione bono publico, velut *Astrum recens Cœlo insertum*, se se extulit: Ea de causa factum, vt ad clarissimam famam, *Romanæ Sedis* indulto, etsi nondum publicâ per Orbem Christianum attestatione, *Germanorum Ecclesia anniuersarijs Sacris defuncti memoriam solenniter recoleret*; nunquam non ex *voto* singulorum, qui in eius *patrocinium*, velut in iugiter manantem *beneficiorum fontem* intendissent.

II. Ex his *tres* admodum, *fœdè membrorum* ominum officio destituti, vt *Henricum* interpel-

larent, diuinitùs admoniti ſunt. *Primus* quidem vt *domi*, *alter* vt ad *tumulum* eius precibus inſtaret; *Tertius*, quem ex *vtero Matris vitium ſequebatur*, vt *Miſſarum* de *Beato Henrico* ſolennijs intereſſet. Vnus duntaxat labor fuit baiulorum, poſtremos ſubmotâ velut *ad probaticam piſcinam turbâ languentium*, aditu patefacto inferre, & continuò *ſalus integra* ſecuta eſt. His accedit *claudus*, qui tentatâ *Cœleſti ope* ad *Henricum* remiſſus, tunc *primùm rectè ambulare cœpit*, ſtupentibus, qui hominem ab infantia miſerabilem meminiſſent. Fuit & *femina membris omnibus*, præterquam *manibus non penitus* emortuis, capta; dum his, tabulæ rotulis innixæ impoſitam, ſe ægrè ad *tumulum Henrici* molitur, in *medio conatu ſalua* ſurrexit, eodémque momento renouatam ibidem in alio *paralytico* Chriſti potentiam admirata, magnum *Henrici* patrocinium exclamauit: idémque *plurimi languentium* conteſtati ſunt, qui ad *reliquias Beati*, proſtrati ſalui omnes & integri, ſine vegete & vectore ad ſua læti redierunt. Innumera mittimus. Et hæc ferè ad ſepulchrum.

III. Non minora nec pauciora ſunt, quæ in ſuſceptione ſacrarum reliquiarum *Merſeburgum* vidit & obſtupuit. Nimirum vulgatâ iam miraculorum famâ *Vurlemarus Abbas*, partem earum voto ſuo in Saxoniam detulit, certus *Henricum* non defuturum loci religioni, quem toties Barbarorum incurſu afflictam, mortalis

adhuc

adhuc liberauerat. Quæ verò & quàm admiranda hîc operatus sit, ex factis in itinere licebit vtcunq; colligere, quando nullo non loco vestigia sanctitatis reliquerit, effusis in occursum vndiq;, quos vel fama, vel infirmitas attrahebat, pulso antea quouis languore, & sanitate restitutâ, quàm ad aspectum sacræ Sarcinæ propiùs accessissent; vt cùm desiderarentur qui tot prodigia in literas digererent, cumuli passim lapidum, aut egesti cespitis humiles aggeres, plerisque in locis pro more seculi, monumenta facerent, quibus visis posteritas beneficij memor cultum Sanctis vberiorem, & hinc Deo glorificanti gloriam impenderet ampliorem. Hæc in itinere.

IV. Vbi prope *Merseburgum* peruentum est, totâ Vrbe aduersùm excitâ, & necdum repositis loco parato sacris pignoribus, in ipso ingressu crebrescere prodigia. Ac inprimis Orbitas oculorum mulieri hactenus lucis experti adempta: deinde alteri mandibula, quam infirmitas fœdâ tortitudine dimouerat, loco & formæ restituta. Energumeni complures liberati. Innumera his paria, magísque admiranda si præstitit nouus hospes, quid demum ciuis factus? Certè vix repositis in loco reliquijs, mulier surda & muta, audiuit iuxta & locuta est. Successit energumena, quæ dæmone horrendùm mugiente, atque in *Henricum* blasphemè detonante, vbi hoc nomen ab adiurante Sacerdote san-

ctiùs inclamatum est, pulsus infamis tortor, euanuit. Ipsa iam sui compos retulit, ad ingeminatum *Henrici* vocabulum, visum accedere Heroëm regiâ amictum, capite canis insperso, barbâ promissâ, specie totâ supra mortalem, eundémque minis primùm, deinde verberibus spiritum nequam effugâsse.

V. Finis scribendorum non foret, si calamo indulgeremus, quando peruulgatum erat, vbicunque *Sacræ Henrici* adessent *reliquiæ*, illic etiam patere miraculorum officinam; tametsi alibi vel pia nominis commemoratio, raro virtutis expers audiret. Certum præterea, cuiuscunque liquoris haustu ex *Calice*, quem *Merseburgi Laurentio Martyri* sacrauerat, nullos non febricitantes salutem consecutos; durauitque beneficium, vsque dum pietas loco non excessit, *Sacri*, seu *Henriciani Calicis* nomine & virtute passim vulgatis. Denique in admirandis censetur, tantùm ad eas reliquias, die noctúque mortalium venerantium fuisse affluxum, nunquam vt fores Ecclesiæ clauderentur, eóque sacræ fidelium excubiæ, distributis Ordinibus sine intermissione adessent, alijs atque alijs tribuum perpetuò succedentibus. *O pietas antiquâ! ô pij Catholicæ Germaniæ mores!* Et contigit aliquando, vt tantam diligentiam nouum miraculum aduerteret, cùm appositum ad Capsam, inspicientium commoditati pineum ostiolum, ex proximo cereo incenso flammam conciperet,

neque

neque tamen diu ardens vim ignis admitteret. Id datum religioni orantium & Æditui, psallentibus in Choro studiosè vacantis, vt his imprudentibus, aut certè falsis *Henrici* virtus officium faceret.

VI. Ad *miracula* reuocari potest *Monachi Monasterij Sancti Petri*, quod *Merseburgi* adiacet emendatio. Instabat solênitas *Beati Henrici*, nec vlla siue in vrbe, siue in suburbanis erat Ecclesia, quæ festo cultu non certatim pararetur. Vnus hic *Monachus* Ecclesiæ suæ Custos, incertum qua de causa, si impudentiam excipias, negligere primùm, mox etiam in *Henricum* cauillari, denique stomachantibus qui audirent, apertè etiam *Sanctitati* eius detrahere, & Templi parietes arásque vestire cupientibus, mundum omnem negare; postremò festum quoque campanarum sonum inhibere: Non tulit impunè; extemplò *Sanctum suum* vlciscente *Numine*, totius corporis tremore quassatus, sensuúmque omnium munere destitutus, eiulatu miserabili inter cruciatus cæpit diuinam in se vindictam contestari; ad hoc solùm vigore animi vtcunq; relicto, vt pœnitere nôsset, & *Henricum* gemitibus placare. Neque is distulit opem, sed mitiùs habitum, ne vnquam offensæ, veniæque memoria excideret, vestigio relicto sanauit.

VII. Non absimilis fuit fortuna *Rustici* præ auaritia mendicitatem, & affecta membra simulantis. Iniecerat hic se turbis pauperum,

ad valuas Ecclesiæ *Merseburgensis* affluentium, magnóque causatus quiritatu, neruos contractos, pedes recuruos, flagitabat stipem, & minùs propitium sibi immortalium afflictissimo *Henricum* subinde questus, cōmeantium saltem miserationem gemebundè implorabat. Nec frustra, certatim porrigebāt obolos, ac vt æquiore animo *Sancti* opem sustineret, hortabantur. Interim ille iam nummis fartus, frequenti populo se subducit domum iturus, iámque vt rebatur doli securus, gressum rectè moliri frustra tentat; quippe recuruatis magè pedibus, adeóque talis ad clunes actis, nullo non conatu, nihilum se expedit. Tum agnoscere noxam, maximóque eiulatu *Cœlites omnes*, ac præcipuè *Henricum* obtestatus, concursu ad clamorem facto prodit scelus, minori pudore quàm dolore, stupentibus cunctis, ac deprædicantibus *Henricum*, qui perinde pijs votis faueret, & piaculis distringeret.

VIII. Felicior paulò fuit *Luitpoldus* quidam *Bambergæ Presbyter* religiosus, qui crebrescentibus ad tumulum *Henrici miraculis*, cùm anniuersaria funeris sacra, in triumphantis solemnia commutari vidisset; dubitare secum, riténe id fieret, & an syncera essent prodigia vulgò deprædicata. Nec mora, fidem à seipso impetrauit, illicò offusâ luminibus caligine, vt noctem circumferre sibi videretur. Adhuc tamen non *Henrici*, sed aliorum Cœlitum ac præsertim *VVolfgangi* opem periclitandam ratus,

sata-

ſatagebat indefeſſæ geniculationis, quoad obrepente ſomno *VVolfgangum* audire ſibi viſus eſt monentem; ad *Henrici* patrocinium quantocyus recurreret, poteſtatem hanc curandi eidem eſſe reſeruatam, in quem ipſe incautè offendiſſet. Paruit confeſtim, & ad *tumbam* in vota effuſus, ſe piaculum obtulit, religioſior in poſterũ futurus. Nec *Henricus* inuocatus, moratus eſt opem, & illicò pulsâ caligine *cæco lumen* refudit; hunc inſignem deinceps ſanctitatis ſuæ nactus præconem. Qui, quoad vixit, cunctis admirantibus, & Deum in *Sancto ſuo* glorificantibus, haud deſtitit *Henricum extollere.* Ne inter innumera, *Ioannis Cardinalis Paparonis* exemplum hîc memoremus, illuſtrior infra locus manet.

a. *Ottho Friſing. lib. 6. cap. 27. Apographum apud Gretſerum.*

CAPVT XXXVI.

Variæ Sancti Henrici post mortem Apparitiones.

I. PAucis plurium argumenta damus. Accenderant oculos animúmque Æditui ſplendida donaria Eccleſiæ collata; nec continuit manus, quin clanculò interuertendo aſueſcerent. Sed non tulit *Henricus* miſerum diu *Sacrilegijs* inſordeſcere; & vice quâdam in ipſa Eccleſia malo animo pernoctantem, *viſu* & *voce minaci* affatus, *Species*, inquit, *decepit te, & concupiſcen-*

cupiſcentia ſubuertit cor tuum, protinúsque è ſtrato protractum multis verberibus emendauit. Ille inter plagas euigilans toto corpore contremuit, nec manè lecto ſe expedire volens, cauſam rogatus cum rubore propalauit, & liuorem cum vibicibus obiectans, immenſas Deo & Correctori ſuo gratias egit, interiturus niſi tempeſtiuo hoc remedio ſapuiſſet: ac optimâ tandem fruge concepta, quoad vixit, magnam ætatem Eccleſiæ fideliter impendit, ſuóque exemplo complures ad ſanam mentem reuocauit.

II. Luculentior hæc altera fuit *apparitio*. (*a*) *Bruno* Frater *Henrici*, idémque *Epiſcopus Auguſtanus*, vt olim felicibus Fratris actibus inuidebat, ita modò liber, pro ingenio agens, *Epiſcopatûs Bambergenſis* euertendi cupiditate flagrabat. Cauſa flagitij mihi quidem incredibilis fertur, *Gyſela Soror Regina Hungariæ*, cuius filio *Emerico* prædia iure hereditario ad ſe pertinentia *Bruno* promiſerat. Verùm errore palpabili ſubſtituitur *Regina Hungariæ* (*b*) & filius *Emericus*, quorum Sanctitas vt procul immani hoc ſcelere, ita regia fortuna alieni cenſûs indiga non erat; *Emericum*, ſi prouixiſſet, non *Epiſcopatus vnus*, ſed *Regna* opulentiſſima manebant. *Gyſela* porrò ea fuit *Conradi Regis Coniux*, cuius filio, nō *Emerico*, ſed *Henrico* profanatas opes, & poſſeſſiones ad ſe redituras *Bruno* deuouerat. Cui crimini mulier impotens,

& *Con-*

& *Conradi Regis* auſpicia admiſcuit,ſpecioſam rata infamiam, quam authoritas *Regis Coniugis* inumbrâſſet, eo maximè prætextu ſuggeſto, quòd *Brunonem* aliijs intentum, *Epiſcopatus* cura vix tangeret. Scilicet ingenti ipſa pietate in bonis auertendis, *ſacrato Epiſcopo* religioſior videri affectabat.

III. Et iam maturuerant improba conſilia, locúſque & hora dicta, quâ in rem præſentem poſtridie veniendum erat; nihil non reluctante in multam noctem *Eberhardo Bambergenſi Epiſcopo*, qui cùm magna cōtentione neruiſq; omnibus, iniuriam Dei, *Sancti Fratris Henrici*, immane *Sacrilegij* exemplum, metuendámque vltionem peroràſſet, ſurdo fabulam narrauit, & indignabundus, *Henricíque* piós manes conteſtatus, nefario propoſito indormiſcentem reliquit. Sed non cunctatus *Henricus*, ipſe ſuam cauſam agere, & mox *Fratri ſe, in viſu obiecit* longè nedum infra Cœlitum elegantiam, verùm ipsâ noti oris figurâ, dimidiâ parte in glabram & depilem deformatâ, quaſi ſeruilem iniuriam paſſus. Agnouit *Bruno*, & nouitate monſtroſâ percullſus, de tam barbaræ crudelitatis authore auſus eſt quærere. Tum *Henricus*, *Tu* infit, *hanc immanitatem in me & Sanctos Dei, quos ego conceſſis à Deo fortunis colui, exercuiſti: Tu receptum in Cœlum perſequeris, quem quia detrahere non potes, manus impias in Templa Diuûm inijcis, partem gloriæ noſtræ diſcerpens: hic furor faciem meam depi-*

lauit,

lauit, furor scilicet Fratris, fraternæ monumenta pietatis expilantis. Videris quâ spe grasseris, nî desistas, breui senties in tua supplicia viuere, quos mortuos non remordere cauillaris.

IV. Fulminatus his minis *Bruno*, suíque impos, noctem reliquam inter summos angores insomnem egit. Manè euocatus ad *Conuentum Procerum*, valetudinem excusauit. Instante nihilominus *Reginâ*, pateretur lecticâ se inferri, vnóque verbo tabulas obsignare, negauit se affectum scelus perfecturum, satis esse aiens, hucusque eo meditato se aduersùs Deum & Sanctos impiâsse, longâ pœnitudine exoluendum, & malle se hîc periurum, si tamen in rescissam malè promissorum fidem id criminis cadit, quàm Sacrilegum dici, & homines quàm Deum æternùm iratum, momentò offensos habere. Ita tempestas quæ *Bambergæ*, imminebat, discussa; eius tamen concitator *Bruno* haud impunè tulit, quando qui malum alieno *Episcopatui* temerè intentauit, non multò pòst tueri suum ipse non valuit.

V. Non minus illustris est *Apparitio* tertia quam subijcimus. (c) Quo tempore *Fridericus Ænobarbus* bellum *Polonis* indixit, hi viribus impares, audendum tamen rati, magnis copijs aduersùm veniebant. *Princeps Bohemiæ* non esse è re *Imperatoris*, cum irritatis & morti deuotis certare prudenter considerans, clam *Friderico*, *Regi Boleslao* suadet Legatos ad *Impe-*

ratorem mittat, obtenturos, se consule, pacem, si poscant: Paruit *Boleslaus*, misitque *VVernerum Plocensem Episcopum*, *Aquisgranum* cum donis: hîc tum fortè *Fridericus* ossa *Caroli Magni* exhumata, thecâ auro gemmísque laboratâ recondebat. Admissus *VVernerus*, ex sententia egit, vicissímque munera *Boleslao* digna retulit, inter alia particulam reliquiarum *Sancti Henrici*, *Friderico* vnicè culti, quæ supra precium fuit.

VI. In reditu, explicatis in nemore quod *Zurbiæ*, & *Poloniæ* finibus interiacet tentorijs, dum post refectionem sopori se dat, videt sibi speciem obijci *Regis Paludati*, sed mortali homine longè augustioris, dextrâ Sceptrum ferentis, audítque in hæc verba proloquentem. *Quid tu in hac solitudine somno deprimeris, ignarus quid rerum feras.* Euigilanti verò & cum tremore cunctanti quis esset. *Ille, Ego sum*, ait Henricus *Ecclesiæ Bambergensis Fundator, qui in temporalis vitæ cursu, immortalis compendium à Domino promerui: In quo ergo iaces loco Ecclesiam nomini meo pro opportunitate conde, certus, cum tempore cultum Domini hic splendide amplificandum.* Dixit & disparuit. *VVernerus* totus voluptate gestiens, re cum suis communicatâ, certatim opus vrget, & vt occasio sinit lignis & rudeto nullâ arte, in modum tamen habilem componunt; id solùm angebat, ne Ara non lapidea foret, quando isthic audiri tantum de lapidibus, videri ipsi non poterant; circũspicit nihilominus anxius vnde,

vnde se offerant, nec procul, baculum quem manu ferebat, in aggestum terræ tumulum, dum fortuitò defigit, tanta geminato miraculo copia lapidum sectorum se obtulit, quanta & præsenti & futuræ constructioni par esset.

VII. Ita *VVernerus, Dei, Henrici, Sanctique Regis Sigismundi* honori Templum extemporaneum statuit; quod deinde huius author historiæ, *(d)* iuxta vaticinium magnificè eductum, & *Ordini Benedictino* commendatum narrat, eóque nomen & venerationem *Henrici* apud illos populos inclaruisse. Fuit autem is *VVernerus* ex equestri *Rosarum* familia, quem postea Ecclesiæ suæ iura tuentem *Balesca* Tyrannus, submisso *Benasso* fratre germano fraude occidit. Et hunc quidem haud multò pòst, terra tanti sceleris impatiens hausit; illum verò interceptum *Rex Boleslaus* flammis tradi iussit; *VVerneri Plocæ* sepulti sanctitatem illustria miracula prodiderūt.

a. *Vrspergens. in Chronic. Hoffmann. in Annal. Bambergens. M.S. Rebdorff. Codex VVinsberg. Henric. Canis. Tom. 6. Andr. Brun. l. 9. de reb. Boic.* b. *Annal. Eccles. Hungar.* c. *Ann. 1158.* d. *Antiqui Cod. apud Iac. Gretser.*

CAPVT XXXVII.

Sanctus Henricus ab Eugenio Tertio Summo Pontifice Canonizatur.

I. IAm *Sanctitas HENRICI prodigijs* exsplendue-

ſplenduerat, nec vllus Chriſtiani Orbis angulus erat, quem aut *fama* non impleuiſſet, aut *patrocinium* non affeciſſet: necdum tamen *authoritate Romanâ*, publicis ad Aras honoribus decretis pro ea ſolemniter cautum fuit. Quo loco mirari ſubit nec *Romanam Eccleſiam*, tot beneficijs ab eo cultam, nec *Romanos Imperatores*, eius virtute tranquillam Rempublicam excipientes, hanc cogitationem ſuſcepiſſe: Immò nec ipſos *Romanos Pontifices*, atque ex his aliquot *Germanos*, tam ſublatè *de Religione* meritum reſpexiſſe; cùm interim haud paucos eo ritu dignos cenſuerint, *Romualdum Ioannes Decimus Nonus*; *Stephanum*, *Emericum*, *Henrico* recentiores, *Gerardum* item *Chianadienſem*, aliósque *Benedictus Nonus*; & ne per ſingulos deerremus, *Leo Nonus Gerardum*, alterum *Leuconum Epiſcopum*. Alij alios.

II. Atque ex *Pontificibus Clemens Secundus Germanus*, idémque antea *Bambergenſis Epiſcopus*, *Henrico* debet, hoc velut gradu facto conſcendiſſe ad faſtigium *Apoſtolicæ dignitatis*, vt quamuis ægrè ſe paſſus ſit auelli, à complexu, quemadmodum loquitur, *amicæ, ſororis, ſponſæ, & columbæ ſuæ*, nempe *Eccleſiæ Bambergenſis*; hinc tamen fatetur diuinitùs ſibi conceſſum *Ius* illud *Apoſtolicum*, *quo cœlis & terris imperatur*, eóque conſentaneum ducit, de *profectu ſuo ſedem quoque Bambergenſem proficere*, *& inde ſibi conſulere ampliùs, vnde ipſi poteſtas Apoſtolica fuiſ-*

ſet ampliata. Neq, ſolùm, ſed quæ Orthodoxus Imperator HENRICVS ſummâ liberalitate, nec minori deuotionis & pietatis affectu contulit ſponſæ chariſſimæ, Virginique caſtiſſimæ, ſpecioſiſſimæ; nempe Bambergenſi Eccleſiæ, vt eam fundaret, erigeret, atq, etiam in altum culmen eueheret: Hæc, inquã, omnia cùm ipſe *Clemens*, ſuæ quoque authoritatis Apoſtolicæ fulcro voluerit eſſe conſtabilita; an cenſeri poteſt tot titulis commendata *Henrici* merita, aut non decorare nobiliùs, aut ſiccâ tantùm oratione honores eiuſdem voluiſſe obtinere. Iuxta quem & ipſe non multò pòſt vitâ cum Pontificatu defunctus, tumulandus erat, *Eccleſiam quaſi nonam*, vt loquitur *Leo Nonus, ſe Patrono decoraturus.* Sed etiam *Leo* ipſe *Nonus* iteratò in Germaniam reuerſus, nec vllâ in re patriæ ſuæ non commodans, an ſatis habuit *Henrici* geſta laudare tantùm, niſi etiam *Venerabilis fundatoris & conſtructoris* prærogatiuâ in cœlum non verbis ſed factis extolleret?

III. Occurrit, tentatam ſæpius hanc *ſpartam*, ſed poſt *Henricum Tertium* in reliquis *Henricis* offendiſſe pietatem, qui iactatâ per *ſexaginta* plùs minùs *annos* Eccleſiâ, nomen *Henricorum* inuiſum reddiderunt. Niſi præiudicium potiùs tulerit, ab ipſo vixdum funerato *Henrico*, eatenus eius honores occupâſſe religionem *Germanorum*, vt certiori ex ritu magis ſolemni, commendatione minimè indiguerint. Certè *Leo Nonus*, qui prærogatiuâ *Mitræ* diem defun-

eſt anniuerſarium, aliquo ex *Fratribus, Cardinali* an *Epiſcopo* faciente, celebrandum inſtituit, haud obſcurè innuit, maiorem habitam funeri tanto venerationem, quàm quæ ſolis atratis diebus tribueretur. Sed enim redditâ tandem *Eccleſiæ Romanæ* tranquillitate, illuxère dies candidi, qui *Cæſarem* non iam vmbone vt olim, ſed cœleſti throno eleuandum poſcerent.

IV. Qua in re ſingularis enituit *Pietas Conradi Regis Tertij*, qui aſſenſu *Cleri Bambergenſis*, habito *Principum Conuentu*, viros præſtantes legit, legauitque ad *Eugenium Tertium Romanum Pontificem*, coram quo cognitâ *HENRICI Sanctitate*, perpetuâ ſuprà ſeculum *miraculorum* atteſtatione firmatâ; de ſolemni per Orbem Chriſtianum cultu eiuſdem decerneretur. Magnum id erat incitamentum *Conrado* rerum feliciùs gerendarum, cui ſuperioribus annis, ſuſcepta in *Aſiam* expeditio nō ex voto ceſſerat; eandémque ob cauſam nec *Eugenio* obſcura erant merita, & opportunum in cœlo patrocinium, quando captâ nuper *Edeſſâ*, res Orientis, *Sarraceni* cum maxima Chriſtianorum ſtrage ſúſque déque agebant.

V. Quod tamen aliquandiu commune *Germaniæ* votum moraretur *Eugenius*, *Ioannis de Paparo Cardinalis*, tituli *Sanctorum Laurentij* & *Damaſi* contumacia fecerat. Hic cùm apud *Eugenium* multa poſſe videretur, rerum experiens, vehementer obſtitit, & verſuto calli-

lidóque iure *Sanctitatem HENRICI* premere primùm, mox etiam famam deprimere, & veluti nihil ex virtute egisset eleuare. Verùm adfuit *Henrici* causæ *diuinum patrocinium*, & percusso *subitaneâ cœcitate*, vt qui nimis acutè videre affectabat, *Ioanne*, tantisper hominem afflixit, quoad impiâsse animum suum aduersùs *Sanctum Dei* palàm confessus, eodémque implorato virtutem expertus, conuersâ oratione patrocinatus est, nec præter periculum suum alios testes rogandos coram *Eugenio* affirmauit.

VI. Agebant tum in *Germania Legati à Latere Theodoricus Cardinalis, Episcopus Portuensis natione Germanus*, & *Astaldus de Astallis Romanus Presbyter Cardinalis* Tituli *S. Priscæ*: Quibus in rem præsentem *Bambergam* accedere iussis; postquam eorum relatione ritè cognitum *Eugenius* in *Vrbe* intellexit, pleno *Patrum* consensu, *HENRICVM in Sanctis* cum authoritate renunciauit, factóque de more *sacro applausu, HENRICO* ad *Aras* inuocato, *Deo* solemniter litauit; útque is honos publici iuris *Bambergæ* primùm, deinde per *Orbis Christiani Ecclesias* esset, literas expediuit, quas ad *Egilbertum Bambergensem Episcopum*, & huius *Ecclesiæ Canonicos*, missas hic subijcimus.

VII. *EVGENIVS Episcopus, Seruus Seruorum Dei, venerabili Fratri Egilberto Episcopo, & dilectis filijs Canonicis Bamber-*

gensis Ecclesiæ, Salutem & Apostolicam Benedictionem. Sicut per literas & nuncios vestros vobis mandâsse meminimus; venerabiles Fratres nostros N. Sanctæ Rufinæ Episcopum, & N. presbyterum Cardinalem pro diuersis negotijs ad partes illas de nostro latere delegauimus, eisque viuâ voce iniunximus, vt ad Ecclesiam vestram accederent, atq; de vita & miraculis HENRICI Regis rei veritatem diligenter inquirerent, & literis suis Nobis significarent. Nunc autem eorundem Fratrum nostrorum, & multorum religiosorum & discretorum virorum attestatione, de Castitate ipsius, de Fundatione Bambergensis Ecclesiæ, & multarum aliarum; quarundam quoque Episcopalium Sedium reparatione, & multiplici eleemosynarum largitione, de conuersione Regis Stephani, & totius Hungariæ, Domino cooperante (a) *per eum facta; de glorioso etiam ipsius obitu, pluribúsque miraculis post eius obitum, ad ipsius corporis præsentiam diuinitùs ostensis multa cognouimus. Inter quæ illud præcipuum & memorabile attendentes, quòd cùm Diadema Sceptrumque Imperij suscepisset, non Imperialiter, sed Spiritualiter vixit.*

In thoro enim legitimo positus (*quod paucorum fuisse legitur*) integritatem castimoniæ vsq; in finem vitæ conseruauit. *Quæ quidem Nos omnia simul perpendentes, atque deuotionem vestram, & Ecclesiæ Bambergensis, quæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ soli subesse dignoscitur, diligenter considerantes, tametsi huiusmodi petitio nisi in generalibus Concilijs, admitti non soleat; auctoritate tamen Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quæ omnium Conciliorum firmamentum est, petitionibus vestris acquiescimus, atq; eiusdem memorabilis viri, cuius exaltationem requiritis, Fratrum nostrorum Archiepiscoporum & Episcoporum, qui præsentes aderant, communicato consilio* Memoriam inter Sanctos de cetero fieri censemus, & anniuersarium eius diem solemniter celebrari constituimus. *Vestrâ itaque interest, sic in Sanctæ Romanæ Ecclesiæ obedientia & fidelitate persistere, & sic ei dignæ deuotionis obsequijs respondere, vt ampliori Beati Petri & Nostra gratiâ digni inueniamini. Datum trans Tiberim, Pridie Idus Martij.*

VIII. Hactenus *Literæ Apostolicæ Canonizationis*, datæ decimâ quartâ Martij, feriâ quartâ, vt verisimile sit peractam *HENRICI* in Sanctos

Sanctos adſcripti ſolemnitatem, Dominicâ præcedente, aut feriâ ſecundâ *Gregorio Magno Sacrâ*, ſiue in *Vaticana Principis Apoſtolorum*, ſiue in *Baſilica Diuæ Virginis trans Tiberim*, iuxta quam ſubinde *Romani Pontifices* manebant, cuius etiam loci characterem literæ ferunt. Quo autem apparatu non *Bamberga* ſolùm, ſed tota *Germania* feſtum hunc diem ſuum celebrârit, cogitare facilius eſt, quàm dicere, ipſo inprimis *Conrado Rege*, cui hæc curarum ſumma erat ſatagente, poſtquam *Confluentiâ* dimiſſis *Hiſpanorum Legatis*, ſecundùm *Pentecoſten Ratiſponam* accedens, hîc nō tam ſuâ quàm *Henrici* immortalis curiâ explicatâ, nihil ſplendoris prætermiſit, quod ad eius gloriam in Vrbe & Templis amplificandam pertinere videretur; Spectantibus etiam *Romani Imperij* lætitiam, *Cardinalibus*, *Ioanne Vrſino* & *Octauiano Monticello Romanis*, altero tituli *S. Suſannæ*, *S. Cæciliæ* altero, *Preſbyteris*, quos *Conradus* obuios & digno honore exceptos *Ratiſponam* ſecum deduxit; Quâ occaſione veriſimile fit dilatâ vno die celebritatem, hæſiſſe poſtea *feſtum in decima quarta Iulij*, quem deinceps & *Martyrologium* & *Breuiarium Romanum* obſeruauit; tametſi *Henrico*, ſicut dies emortualis, ita Cœlo natalitius & anniuerſarius decimus tertius eſſet.

IX. Scilicet foro ſuo religioſè vſus *Eugenius*, cùm nihil non à pio & grato Rege obtenturum ſe exiſtimâſſet, hos *Legatos* ad eum miſerat,

rat, tum vt ad *Sacram militiam* iterum suscipiendam animarent, tum vt in propugnanda libertate Ecclesiæ, aduersùs incitatos rebellium armorum impetus subsidia impetrarent. Vtrumque promptissimè receperat *Conradus*, expeditione, quò copię instructiores essent, ad initium anni sequentis dilatâ; tametsi cum Prætorianis venturum se maturiùs ad *Vrbem*, Diadematis de manu *Pontificis* suscipiendi gratiâ affirmâsset. Atque interim datis ad *Italiæ Principes* mandatis, vt *Eugenio* præsentes essent imperauit.

X. Sed enim incertæ sunt cogitationes mortalium, Deo ad nutum moderante, dum compositis in *Germania* rebus, maiori quàm aliàs apparatu cuncta molitur, submissis *Rogerij Siculi* metu Medicis, morbo corripitur. Eò quamuis præsagus finis, nihilo tamen fractior animo *Bambergam* pergit, hîc & curiam & funus iuxta *HENRICVM* piè sibi cultum habiturus. Huc cùm venisset superante vires ægritudine, paucos post dies, *multorum planctu*, inquit Otho Frisingensis, (*b*) *raptus, prioris fortitudinis in vltimo discrimine retinens animum, proximâ à capite Ieiunij sextâ feriâ, Decimo quinto Calend. Martij, vitam finiuit.*

XI. Volentibus porrò familiaribus, (*c*) defuncti cadauer in *Laureacensi Monasterio*, iuxta genitoris ossa humare, viuentis vt affirmabant, voto facturi satis; obstitêre *Bambergenses*,

causati

causati & decoro funeri *Conradi*, & honori *Imperij* consultiùs fore, si prope *Magnum HENRICVM Imperatorem*, nuper *authoritate Romanâ* inter *Sanctos* accensitum conderetur. Quando non sine peculiari Numinis impulsu *Bambergam* accessisset, viuendi finem facturus, vt ne in morte quidem ab eo separaretur, cuius suffragio imperâsset, & quem vicissim ipse impensè in vita colens *Romanæ Sedis authoritate* in terris exaltandum curâsset; Vt proinde hoc votorum supremum fuerit, in morte quoque vnà coniungi, & contracta ex *Beatis exuuijs* velut ossium suorum sanitate, iuxtà in pace quiescere.

XII. Vicit pia contentio, & *Conradus Henrico*, sed eleuatò humilior, *regio cultu* additus est. Atque ex his habemus factam *HENRICI* Apotheosim Anno salutis supra *Millesimum & Centesimum, quinquagesimo primo*; postquam vitâ functus est, ;*Centesimo & vigesimo septimo*, vno circiter ante *Conradi Regis* exitum, vt dum hæc scriberemus, duabus minùs *Olympiadibus* quinque ab eadem numerarentur secula.

a. *Annal. Hungar.* b. *Lib. 1. de reb. gest. Frider. cap. vlt.* c. *Ottho Frising. ibidem.*

Sancte HENRICE,
Ora pro me.

Rerum magis Memorabilium.

NOta, licet hæc Scriptio ſit mera Hiſtoria, ſubiungimus tamen duplicem Indicem; hunc Rerum; alterum Factorum & Hiſtoriarum; vbi datâ operâ ponuntur plures Tituli, ex quibus Catholicæ Religionis Dogmata nonnulla & Ritus, ab antiquiſſimo horum, & à Prudentiſſimis Viris ſolito more confirmantur: Vtrunq; eum in finem, vt qui Exhortationibus & Concionibus ſuis, vel familiari conuerſationi ſimilia immiſcere velint, ex ſequenti præſertim Indice copiam aliquam habere poſſint.

Har-

Cum

Eppo.

Hezi-

Templum.

INDEX III.

FACTORVM, ET HISTORIARVM NOTABILIVM.

Crux

Missa.

Peccata

P.

Peccata.

Peregrinationes.

Princeps

Pueri.

Purgatorium.

R.

Religio.

Religionis & Pietatis opera.

VITA



S. HENRICVS IMPERATOR

Corrigenda.

Fol. 27. v. 8. Gregorius. lege. Benedictus. 35. v. 3. Antistites lege Antistes. 54. v. 3. statiuijs. l. statiuis. 81. v. 2. vsurbabat. l. vsur pabat. 165. v. vlt. ominum. l. omnium. In Indic. Voce Henricus Auceps: Interpone Henricus III. in Iudicio &c.

FINIS.